



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata Heinrychi Bullingeri lib. IIII**

**Bullinger, Heinrich**

**Tigvri, 1535**

**VD16 B 9759**

Liber Tertivs Qvod Christianvs Magistratum gerere poßit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35433**

Hoc idem tecum ardentissimis uotis orabo, nec dubium est quin preces nostras exauditurus sit dominus. De magistratu uero uelim mentem tuam mihi exponas. Nondum enim intelligo, quomodo Christianus ceteris praeesse possit. IOIADA. Quandoquidem noxiam appetit, differemus hanc disputationem in alium quempiam diem. SIMON. Ita fiat, tu uale. IOIADA. Et tu quoque, dum fuerit integrum redi. SIMON. Curabo ut primo mane adsim.

## LIBER TERTIVS

QVOD CHRISTIANVS MA  
gistratum gerere possit.

IOIADA.

I.  
TRACT.

SALVE Simon, ades in tempore. Audi dū te uideo ueritatis, hinc magnā spem concipio te id posse cōsequi quod tanto pere quaeris. De magistratu, quod duodecima conclusione proposueram, nō diffido quin plannum tibi facere possim quod hac in re dubitas. Tu primum dic quid sentias. SIMON. Tu quidem fieri posse putas, quod Christianus homo magistratum gerat, ego uero ex uerbum et exemplum Christi huius sententis

sententiæ repugnare existimo. Quum aliquando uel-  
 lent Christum in regem eligere, fugit, Ioan. 6. nimirum  
 hoc non facturum si cum pietate non pugnasset. Luca 22.  
 expressis uerbis ad discipulos suos sic loquitur Chri-  
 stus: Principes gentium dominantur, & qui potesta-  
 tem habent benefici uocantur, uos autem non sic, sed  
 qui maior est in uobis fiat sicut iunior, & qui prin-  
 ceptus est sicut qui ministrat. Ex istis uerbis manifestum  
 fit, non decere Christianis ut magistratum gerant. Eth-  
 nicis quidem & infidelibus licet, nam Christus dicit,  
 Principes gentium. IOIADA. Non uenit Chri-  
 stus ut tollat magistratus publicos, multo minus ut hos  
 gerat, sed ut mundum sanguine suo redimat. Fugit er-  
 go, non ad quiescens plebis affectibus. Nam regnum  
 occupare sine motu haudquaquam potuisset, non per-  
 mittentibus id Romanis quorum tum imperium erat.  
 Quis autem sic colligit: Christus pistor non fuit, ergo  
 nemo ex Christianis pistor esse potest? Cur ergo sic col-  
 ligimus: Christus magistratum nunquam gessit, ergo  
 Christiano magistratum gerere non licet.

In Luca 22. apostolos sui officij commonefacit, ne  
 aliena agant uetat. Cõtenderant enim in itinere, quis  
 scilicet inter eos post Christi abitum maior esset futu-  
 rus. Inter eos ait. Fingebant enim potestatem quandam  
 inter eos futuram qualem Papa posterioribus tempo-  
 ribus in ecclesia occupauit. Hunc ambitionis & hos

*Ab pistoris pte*

*Aptos sui officij*

*pro papa*

noris morbum ex animis discipulorum reuellit, haud ignarus hanc fore precipuam pestem procerum ecclesiasticorum. his ergo uerbis utitur; Principes gentium &c. Nec hoc contentus, obijcit exemplum sui: Sicut filius hominis non uenit ut sibi ministretur, sed ut ministret alijs &c. Quasi dicat, principes gentium in hoc positi sunt ut praesint & dominantur, uobis aliud datum est officium. Nec tamen his uerbis magistratus aboletur, sed iuxta apostolatum stare potest quod ex uerbis Christi patet. Hoc uero tibi imponit quod gen-

**Wältlich** tium uocabulo pro ethnicis abuteris. Principes enim  
**fürsten** aut reges gentium per locutionem pro his dicuntur,  
**mit Heid** qui in mundo regnant & imperitant, quae potestas (ut  
**nisch.** apostoli testantur) à deo ordinata est, quod Christus  
 his uerbis exprimit. **Euergetae** dicuntur, hoc est ad be-  
 nefaciendum scilicet bonis ordinati sunt. **SIMON.**

Hac ratione quidquid usquam ex scripturis obijci  
 posset auertere possim, dicens: Hoc apostolis dictum  
 est, ad nos nihil pertinet. Sed aliud docet Christus Mar-  
 ci 13. Quae uobis dico (inquit) omnibus dico. Ad om-  
 nes ergo pios hoc uerbum pertinet, Vos autem non  
 sic, non ad solos apostolos. **IOIADA.** Transi-  
lis metas Simon, nec in proposita materia manes, de  
magistratu nobis sermo incidit. Marci 13. quod tu ad-  
 educis, ad sobrietatem & uigilantiam adhortatur ap-  
 postolos, hoc idem omnibus pijs dictum esse libenter  
 tecum

*Transitio me-  
 ras Simon*

tecum fatemur. Quandoquidem enim dies domini ut  
 fur uenturus est, incertus omnibus, & omnibus immi-  
 net tremendum illud Christi iudicium, ante cuius tribu-  
 nal omnes sistendi sumus, recte in apostolis omnes mo-  
 net ut uigilemus. Textum euangelistæ mutilum addi-  
 xisti. Sic autem habent uerba: Vigilate igitur, nescitis  
enim quādo dominus domus uenturus sit, sero, an me-  
dio noctis, an in gallicinio, an diluculo, ne si uenerit  
repente, offendat uos dormientes. Caterum quæ dico  
 uobis, omnibus dico. Nec potes negare quædam ita  
 proposita esse à Christo, ut ad omnes quidem perti-  
 neant, at non citra discrimen, ut quum dicit: Vos estis  
 sal terræ, uos estis lux mundi: sic enim ad omnes Chri-  
 sti religionem profitentes pertinet, ut præcipue tamen  
 ad episcopos ac magistratus. Quædam planè præce-  
 pta esse omnibus ex æquo, quod genus est de mutua  
 charitate, de condonandis fratrum erratis &c. Quæ  
 dam uero sic esse dicta, ut ad solos apostolos et eorum  
 successores episcopos pertineant, ut: ite in orbem uni-  
uersum & prædicate euangelium omni creaturæ. Sin-  
 gularia ergo communia facere haudquaquam licebit.  
 Nam nō rite colliget, qui sic colligit: Quæcumq; dicta  
 sunt apostolis, omnibus dicta sunt: apostolis dictum est  
 ut eant in orbem & prædicent, ergo omnibus hoc di-  
 ctum est. Paulus enim dicit: Nōn omnes sunt apostoli.  
 Singulare ergo est quod dicit: Vos autem non sic, &

Non oēs sūt  
 apli

ad apostolos solos pertinet eorumq; successores. Non dum igitur satis probasti Christianum non posse gerere magistratum. SIMON. Quibus ergo argumentis tu probas Christiano homini fas esse ut magistratu fungatur? IOIADA. Exod. 18. de electione magistratus sic scribitur. Prouide de omni populo uiros sapientes, timentes deum, in quibus sit ueritas, & qui oderint auaritiam: & constitue ex eis tribunos &c. Hos autem rite electos censeo, qui ab his eliguntur quorum interest, non se ingerunt uel prece, uel precio, aut alijs malis artibus, & qui tales sunt quos hic describit Iethro, aut certe tales esse diligenter student. Tales uero per deum magistratus munere fungi posse, ijs ipsis uerbis supracitatis probatum abunde existimo, nam id uerba ista possunt: Qui praeficiuntur, debent esse uiri integri, fidi, metuentes dei, non auari. Quis uero haec magis prestare poterit quam Christianus? Sequitur deinde in praedicto capite: Si feceris hanc rem implebis imperium domini, & precepta eius poteris sustinere. Quandoquidem igitur Christianus imperium & preceptum domini exequi debet, quod per magistratum fit, consequitur Christianum posse gerere magistratum. Adde quod Paulus ait magistratum ministrum esse dei Rom. 13. Ex quo sic colligo: Quaecumq; talia sunt, quibus cum ministratur deo, Christiano homini prohibita non sunt: magistratu

pbat hoc  
Iethro, Chri-  
ano homini  
fas esse ut  
magistratu  
fungatur

Attende Iethro

stratu deo ministratur: magistratum ergo gerere Christiano non est prohibitum. Porro exempla sunt innumera sanctissimorum uirorum qui magistratum gesserunt, quales sunt Abraham, Ioseph, Iudas, Moses, Iosue, Gedeon, Samuël, Dauid, Ezechias, Iosias, cæteriq̃.

SIMON. Quid ad nos quid olim in ueteri testamento fecerunt illi? Si sic colligere licet, eadem ratione probabitur sacrificandum nobis esse & litandum bobus & hircis. IOIADA. Nihil ad te Paulus? De sacrificijs quæ adfers, locum non habent: an ignoras abolita esse sacrificia per Christum? Magistratum abolitum esse nõ probabis. Sed dic, Abraham, Moses, Samuël, & alij quos adduxi, fideles ne fuerunt & amici dei? SIMON. Sed Christiani non fuerunt. IOIADA. Christianus ergo quid est?

SIMON. Qui in Christum Iesum credit, & spiritum habet Christi. IOIADA. Recte. Dic ergo alium ne spiritum apostoli habuerunt quam propheta? SIMON. Idem fuit spiritus prophetarum & apostolorum. IOIADA. Sanctissimi homines ueteris testamenti in Christum crediderunt, & spiritum Christi habuerunt, ergo Christiani fuerunt, nec solum Christiani sed & magistratus, ergo Christianus potest esse magistratus. Quod ueteres sancti spiritum Christi habuerint, 1. Petri 1. manifestum fit. Sic enim ait: De qua salute exquisierunt &

Christianus quod

Idem spiritus prophetarum & apostolorum

Scrutati sunt prophetae, qui de uentura in uos gratia uaticinati sunt, scrutantes ad quem aut cuiusmodi temporis articulum significaret, qui in illis erat spiritus Christi &c. Quod uero in Christum crediderint, Christus ipse testimonium dat Ioannis octauo, & Paulus 1. Cor. 10. Omnes (de patribus ueteris testamēti loquēs) eandem (scilicet nobiscum) escam spiritualem comedebant, et omnes eundē potū spiritualē bibebant. Bibebant autem de spiritali quae illos comitabatur petra, Petra uero fuit Christus. Eadem ergo est ecclesia eorum qui tum in Christum credebant, & eorum qui nunc, quae ecclesia in uno eodemq; spiritu congregatur. Hoc duntaxat interest, quod illi in promissum & uenturum crediderunt, nos in eum qui iam uenit & praestitus fuit. Quo uero loco ceremoniae apud illos fuerint, ex prophetis facile est uidere. SIMON.

Nobis ergo quam iudicamus legibus Iudaeorum utendum erit. IOIADA. Hoc non sequitur, quam nec illi plus quam nos legi addicti erant. Scopus in quem magistratus Christianus omnia dirigit, & in quem unice spectat, est, ut pax & iustitia constet, ut homines integre, sancte, pie et honeste uiuant: contra ut scelera & flagitia extirpentur & puniantur, ut seditiones tumultus et quidquid huius generis est uel caueantur uel tollantur. Nihil hic refert quibus haec legibus fiant, modo fiant. Nec legitur Apostolos contra  
ius

Quo magis  
stratib. spe-  
randum.



ius gentium prædicasse unquam, quod regionum & gentium mores & leges et consuetudines uariæ sunt, nec possibile est quod omnibus omnia quadrant. Quid uero de ueteribus opus est dicere? Ad nouum testamentum ueniamus: Magistratum gessit Nicodemus & Ioseph. Præfectus reginæ Candaces fuit qui à Philippo baptizatur & in Christi gregem accensetur. Christianus fuit Cornelius qui Petrum accersit, & ab eodem baptizatur. Sergius Paulus à Paulo receptus, & Erastus. Hi omnes publico munere functos esse negare non potes. SIMON. Officia quidem fuerunt quando ad fidem uenerunt, mansisse in munere publico post receptam fidem non est expressum. IOIADA. Audiam ergo ex te quibus rationibus probare uelis, fidem hos magistratu eiecisse. SIMON. Quid opus probationibus quum scriptum non sit quod in magistratu manserint. IOIADA. Ostende ergo quod in magistratu non perdurarint. SIMON. Non possum. IOIADA. Nihil ergo probasti, & quæ ego adfero tantum ualent quantum tua quibus ista negas. Istæ uero quæstiones, contentiones generant infinitas, & mentem reddunt perplexam. Asculata ergo mihi. Fides Christiana neminem eijcit imperio. Ioseph enim cæteri que quos supra nominamus Christiani fuerunt, & simul muneribus publicis præfecti. Nec milites abdicare militiam iussit Io-

*Testamentum  
magistratum  
de*

*Fides neminem  
exigit  
honesto officio.*

annes, hoc duntaxat iniungens, ne quem concutiant, ne quē calūnientur, et cōtenti sint suis stipēdijs, Luc. 3. Quod si fides et nomen Christianū à potestate quēq̄ abscedere cogeret, à ministerio dei nimirum discedere cogeret. Magistratus enim minister est dei. Euāgelista quū de Iosepho Arimathiēsi mentionē facit, dicit eum  
 Lucæ 23. fuisse decurionem. Deinde dicit eum fuisse uirum bonum & iustum: extra fidem autem nulla est iustitia (fide enim uiuit iustus) Iustus est, fidelis est, decurio est: ergo fidelis potest esse decurio. Paulus Roma. 15. dicit, Erastus quæstor urbis uos salutat. In officio tum erat, non discesserat à quæstura. Nam in 2. ad Timot. 4. dicit eum Corinthi mansisse. Non legis Philippum Eunucho præfectura interdixisse. Sed te audio iā an alia quædam adferas. SIMON. Verba aperta de hoc non habeo. Hoc uero absurdum uidetur, & Christiano homine ualde indignum, ut illic confideat ubi contra ius & fas agitur, quemadmodum non raro fit in iudicijs & senatu. IOIADA. Euici ego Christianum posse magistratu fungi. Ad tuas obiectiones quid dicam? Nicodemus & Ioseph in sanguinario isto concilio fuerūt, in quo Christus damnatur, nec tamen scelere sanguinis commaculantur. Non enim adquiescunt consilijs impiorum, Lucæ 23. Nihil ergo leditur Christianus etiamsi in concilio impiorum simul assideat, modo turpibus eorum factis non consentiat, & quantum

quantum possit quod iustum est tuetur & consulit,  
Psalmo primo.

Iam uero oculis apertis penitus introspecte et rem  
accuratius expende, pios & Christianos in magistra-  
tu esse quàm impios satius an non sit? Si enim magi-  
stratus infidelis, quis de eo aliquid boni sperare pote-  
rit? Nihil enim boni facere potest, qui ipse non bonus  
est, quales sunt qui deum nec agnoscunt, nec colunt,  
quod & uos non negatis. Quandoquidem ergo dictis  
magistratum à Christiano geri non posse nec debe-  
ri, quid aliud dicitis, quàm in magistratu nihil boni  
esse deberi? Quæ doctrina si firma est, an non omne  
rectum & iustum peruersum est? Qui Christiano ma-  
gistratum negant, impio concedunt, hi perditam om-  
nem religionem & rempub. petunt. An quisquam  
melius regere & imperitare potest, quàm qui deum  
colit & coram eo innocenter uiuit? Talis uero Chri-  
stianus est. Ex Iudicum, Samuëlis, Regum & Chroni-  
corum libris aperte discimus, nunquam feliciora fu-  
isse imperia, quàm tum cum pij iudices et reges præ-  
essent rerum summæ: cōtra turbulentiora nunquam  
fuisse tempora, & plus flagitiorum, deinde fames,  
bella, tumultus & calamitates plures quàm sub impijs ty-  
rannis, qualis fuit Hieroboam, Achaz, Manasses & c.  
Iam ergo hoc concludimus, non modo posse Christia-  
num fungi munere magistratus, sed non posse fœlici-

Christianus  
magistratus  
præfertur  
impio.

TRACTAT.

ter administrari & rite magistratum nisi per Christianos.

CHRISTIANAE REIPUBLICAE

magistratum non solum utilem esse sed summe necessarium.

SIMON.

II.  
TRACT.

**Q**uid uero ad hoc dicis, quod Christus Pilato respondit: Regnum meum non est de hoc mundo? Quandoquidem ergo Christiani à Christo dicuntur, omnino nihil nobis esse (sic enim mihi uidetur) commune debet cum regno huiusmodi. Neque necessarium puto esse filijs dei. Qui enim uere Christianus est, nemini uim facit, nemini iniuriam, non contendit, non litigat, neminem laedit, neminem uerberat, sed iuxta praeceptum domini Matth. 5. uiuit.

*Omni uere Christianus  
amicus est non  
uim vim facit*

**IOIADA.** Accusabatur Christus lesae maiestatis regiae, qua uia sperabant Iudaei illum reum maiestatis se peracturos. Regem (inquiunt) se Iudaeorum fecit. Volebat dominus (ut iure debuerat) alienus adeo uideri ab affectatione regni terreni, quod absurdum esset huius aliquid de se uel suspicari. Respondit ergo: Regnum meum non est de hoc mundo, alioqui haberem ministros meos qui me defendere conarentur. Atque ita Christum caelorum regem se esse confitebatur, & simul tamen

tamen Pilato significabat, à se nihil esse periculi metuendū ei regno cui ipse ministrabat, cuius scilicet Iudæi ipsum apud Pilatum insimulauerant. Quasi diceret: Rex sum, sed regnum meū de hoc mundo non est, sed in spiritu & ueritate. SIMON. Hæc mea sententia est. Regnum ergo Christi nō est de hoc mundo, id est, non est situm in externo dominatu, unde gloria, diuitijs & potentia externa destituitur, ut in capite Christo, ita & membris. Ergo hic reiectamenta mundi nos esse oportet, in regeneratione demum cum Christo regnabimus. IOIADA. Nihil repugno. Quod uero tu ex ista sententia colligis, hoc tandem nego, nempe, magistratu Christianis nullo opus esse. Ratio. Sic de regno suo Christus loquitur, ut inter *rit* magistratum nec damnet, nec tollat.

Ad hæc, Christiani non omnino spiritus sunt, sed adhuc in carne quam circumferunt habitant. Quod ad spiritum attinet, per quem renouatus & Christianus factus est, magistratu opus non habet. Nulla enim re externa internus homo seruatur. Quod uero ad carnem quam gestat, & ad externam conuersationem attinet, magistratu Christiano homini tā est opus, quā in cibo reliquisq; rebus externis. Nam par ratio est si sic colligam: Christianorum regnum non est de hoc mundo, ergo magistratu non egent. Et si sic: Christianorum regnum non est de hoc mundo, ergo cibo non egent

*Regnum meū nō  
est de hoc mundo*

*Christiani  
nō sunt ex  
ti carne.*

Christiani. Nam in hoc mundo manducatur. SIMON. Si uerus est Christiani hominis spiritus, ne minem lædit. Si neminem lædit, quid opus magistratu? IOIADA. Paulus tibi respondet, Principes non terrori sunt bene agentibus, sed male. Vis autem non timere potestatem? Quod bonum est facito, & feres laudem ab illa. Dei enim minister est, tibi in bonum. Quod si feceris id quod malum est, time. Non enim frustra gladium gestat. Nam dei minister est, ultor ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit. Quapropter oportet esse subditos, non solum propter iram, uerumetiam propter conscientiam &c. SIMON.

Hisce omnino nihil opus erit, scit enim Christianus quid dixerit Christus: Ne resisteritis malo. IOIADA. Verum est, nihil uindictæ sibi sumit temere Christianus, quum id ad magistratum pertineat. Hoc uero uobis imponit, quod populum Christianum talem fingitis, qualis nec est, nec unquam fuit, nec futurus est unquam, imò qualis nec esse potest, nempe talem, in quo nullus sit qui labatur aut peccet. Nā tametsi multi sunt boni uiri, plures tamen sunt hypocritæ. Et ueteres olim eadem habebant præcepta ne quem læderent: qui uere boni & pij erant, nulli uim faciebant, sed propter malos qui erant inter illos, magistratus erant. Similiter apud nos. SIMON. Si essemus uere Christiani nihil opus esset magistratu.

IOIADA.

habet Christiani  
Latus baptis-  
tum fingit, quod  
nec est, nec unquam  
fuit, nec futurus  
est unquam

IOIADA. Vere pij erant ueteres, & tamen nihilominus magistratu egerunt, non propter se sed propter malos. Nec dicimus de illo, si tales essemus, sed de illo quales iam sumus. Quandoquidē ergo non omnes sumus quales esse conuenit, necesse est ut habeamus quo carere non possumus. Si multas habere mus opes, nimirum essemus diuites: si multam eruditionem, docti nimirum essemus. Sed iam non conuenit ita colligere: ergo nobis nihil laborandum, nihil studendum. Si alas haberemus uolare possemus: quando quidem uero alas non habemus, pedibus ad incedendum opus est. SIMON. Res ergo nostrae nihil sunt & perdita plane. Non enim ueri Christiani sumus. IOIADA. Quamobrem? SIMON.

Quod adhuc tam imperfecti sumus ut magistratu nobis sit opus. IOIADA. An non intelligis magistratum esse propter malos, ut tuta sit inter nocentes probitas, et hoc deus ita ordinauit. SIMON.

Ordinatum hoc à deo esse non intelligo, quum Christus dicat: Nolite resistere malo. IOIADA. <sup>Et tunc illis dicit istis</sup> <sup>et nolite resistere</sup> <sup>malis</sup> ~~Ve~~ <sup>ne</sup> ~~quis~~ <sup>ne</sup> ~~priuatus~~ <sup>ne</sup> ~~ex~~ <sup>ne</sup> ~~affectu~~ <sup>ne</sup> ~~uindictet~~ <sup>ne</sup> ~~iniuriam,~~ <sup>ne</sup> ~~non~~ <sup>ne</sup> ~~uetat~~ <sup>ne</sup> ~~ut~~ <sup>ne</sup> ~~magistratus~~ <sup>ne</sup> ~~non~~ <sup>ne</sup> ~~feriat~~ <sup>ne</sup> ~~nocentes.~~ <sup>ne</sup> Nam potestas minister est dei, ad uindictam malorum. Item quod Christus dicit: Quum quis tibi ademerit pallium, da ei & tunicam, si ad locum Pauli, 1. Cor. 6. contuleris, inuenies non nihil mitigatam esse sententiam, quum in-

ter Christianos iudicia permittit pro rebus quæ ad uitæ rationem pertinent. SIMON. Si uerba Pauli diligenter excutias, inuenies Paulum id non permisisse Christianis. IOIADA. Sic habent uerba Pauli: Sustinet aliquis uestrum, negotium habens cum altero, iudicari sub iniustis iudicibus & nõ magis sub sanctis? An nescitis quod sancti mundum iudicabunt? Et si per uos iudicatur mundus, indigni estis minimis iudicijs? An nescitis quod angelos iudicabimus, nõ tantum ista quæ ad uictum pertinent? Proinde si iudicia siquidem habueritis, de ijs quæ ad uitæ usum attinent, qui contempti sunt in ecclesia, eos constituite. Ad erubescentiam uestram dico. Adeo non est inter uos sapiens? ne unus quidem? qui possit diiudicare inter fratrem suum & fratrem? Sed frater cum fratre litigat, idq; sub infidelibus? Itaq; iam quidem omnino peccatum in uobis est, quod lites habetis inter uos inuicem, cur non potius iniuriam patimini? cur non potius damnum accipitis? Imò uos iniuriam facitis, & damno afficitis, idq; fratres. Hæc Pauli uerba sunt, ex quibus discimus primum, potius iniuriam deuorandam nobis esse, aut damnum patiendum, quàm ut litigemus aut inuicem contendamus, quò & Christus Matthæi 5. spectat. Hoc uero si propter imbecillitatem & corruptionem carnis nostræ fieri omnino non potest, iam magistratus sunt, fora sunt, coram quibus hæc si quæ  
 incidunt



incidunt transigantur, quo is qui iniuriam passus est uindictetur, & qui iniuriam intulit coërceatur. Iam qui sic coram iudice litigant pro rebus quæ ad uitæ usum pertinent, Christiani sunt, dicit enim Paulus: Frater fratri iniuriam facit: quos iubet, si omnino necesse est, ius petere coram iudicibus Christianis. Frater enim idem est qui Christianus. Postremo ex prædictis uerbis manifeste colligitur, Christianum posse gerere magistratum. Sanctos enim iudices constituit, sancti uero pro fidelibus ponuntur, quos contemptissimos in ecclesia eligi mauult, quam ut infideles iudices adeant.

Ex his omnibus per epilogum colligimus, quando quidem ecclesia ex bonis & malis collecta & permixta est, & fideles, quamdiu hic uiuunt, in carne sunt, magistratu fidelibus opus esse. Et quum ueteres sancti & electi dei magistratu opus habuerunt, nobis hunc non minus necessarium & utilem esse.

QVOD PARENDVM SIT  
magistratui.

SIMON.

**Q**uæ ex Paulo adduxisti non adeo displicent, quod uero huic magistratui parendum sit, non uideo. IOIADA. Quid hoc? An potestati quæ ex deo est, parendum non esse cen-

III.  
TRACT.

ses? SIMON. Siquidem omnis à deo esset, si res  
 Æte præesset, si ius & æquum defenderet. Quod si  
 contra deum pugnat, iura & leges infringit & uio-  
 lat, pauperes opprimit, an tu hanc à deo esse dices? aut  
 huic parendum censes? Quantum ego iudicare pos-  
 sum tyrànica potestas à deo non est, imò potestas non  
 est, minime ergo huic parendum. IOIADA.

*Et tyrannicam  
 potestatem à deo &*

*Et tyrànica potestas à deo est, data à deo tanquam*  
 uirga qua populus probetur & castigetur. In Pharao-  
 ne fit hoc conspicuum, in Saule, & Balthasaro, Paulus  
 quoque dicit: Omnis potestas à deo est. SIMON.

Paulus de ea potestate loquitur, quæ bonis bono fit,  
 malis ad uindictam. Tyrannus contra, bonos iniuria affi-  
 cit & premit, malos subuehit. Quum ergo bonis bono  
 non est, sed malo potius, quomodo à deo esse potest?

*Quod non ad  
 malum videtur  
 sed ad bonum  
 suis ordinat.*

IOIADA. Quod nobis malum uidetur, hoc  
 ad bonum suis ordinat deus. An non tot martyrum cru-  
 ces & mortes quas à tyrannis et persecutoribus passi  
 sunt, deo ad gloriam, ipsis ad cumulum felicitatis  
 seruiuerunt?

*per se & uicem  
 hic fit*

Nabucadnetzer tanquam ferula utitur deus qua  
 populum suum puniat. Ad hæc, si quãdo rerum uices  
 mutantur ut qui bonus fuerat magistratus, pessimus fi-  
 at, non hoc ex natura est magistratus, sed ex uitijs per-  
 uersissimorum hominum qui magistratu funguntur,  
 & ex ira dei. Hinc sæpe aqua, & aer, cibus denique  
 pestifera

pestifera fiunt, quæ tamen per se salutaria sunt: sed sic punit deus scelera nostra. Idem de magistratu tyranni co intellige. SIMON. Quid si is iubet quod iniustum & iniquum est, parebo? Quid si tyrannus fuerit iniquus & impius, parebo nihilominus? Minime gentium. Quandoquidem tu supra dixisti, neminem posse melius fungi magistratu quàm Christianū. Deinde Paulus cum stomacho quodam in eos inuehit, qui se sub iniustis iudicibus iudicari patiuntur. Postremo apostoli ipsi nolebant iussis impij magistratus obtemperare, dicentes: Oportet deo plus obedire quàm hominibus. IOIADA. Collationem feci inter magistratum piū et impiū, ubi sic dixi: Nemo melius et sanctius magistratū administrare potest quàm pius: interim tamen non dixi, magistratum impiū et tyrannicum non esse magistratum. Prætuli imperium quod Christianus gerit, imperio quod gerit impius: ultimū tamen hoc non damnavi, quasi imperiū non esset aut quasi nō esset ei parendum. Nunq̄ respública melius habuerunt q̄ dum piij regnarunt. Hoc in Ezechia cæterisq; sanctis regibus uidere licet. Huc etiam spectat Paulus, quum iubet ut Corinthij ex sanctis, hoc est, fidelibus eligant & constituent iudices. Apostoli recte fecerunt quod in quibusdam rebus, impijs senatus edictis ac iussis adquiescere noluerunt. De obedientia ergo quum quæris, sic accipe. Quum sic dicis:

Quatenus  
obediendum  
impijs ma-  
gistratibus.

Obediam ne impio magistratui? Obediã ne impijs præceptis? eius non idem in utraq; quæris. Ad primam enim interrogationem responderem, parendum est: ad secundam, minime parendum est. Magistratus (quod supra dictum est) imperium habet non in animos, sed in corpora et res externas, & quidquid ad externam conuersationem hominum pertinet. Si iam præcipit quid contra deum, contra conscientiam, aut animi salutem, deo plus est parendũ quàm impijs iussis tyranni. Iam ualet quod apostoli pro se dicunt: Oportet deo plus obedire quàm hominibus. Si uero id duntaxat præcipit quod ad res externas aut ad corpus tuũ pertinet, & quod à te sine iactura ueritatis & iustitiæ, sine periculo salutis præstari potest (Vtuncq; corpori tuo & rebus damnosum, utcunq; tibi indignum uideatur) parendum tibi erit. Obedientiam ergo ei debemus: et rursus obedientiã non debemus. SIMON,

Iam alia oritur quæstio: Si nullam in animum habet iurisdictionem magistratus publicus, quur ergo hodie tantã sibi potestatem in rebus fidei sumit Christianus magistratus? IOIADA. Hoc agit non ut magistratus sed ut Christianus magistratus, nec facit hoc sine præcepto & exemplo. In Deuteronomio præcipitur regi, ut penes se habeat librum legis diuinæ, eumq; sedulo legat, qui & Iosue duci datur à Moise. Inspectemus exemplũ Iosaphat, Ioiadæ, Iosia, Ezechie

Deo plus est pa-  
rendũ quàm impijs  
iussis tyranni.  
legi ratio para-  
graphi & no-  
pauitebit

Deut. 31.

Rex penes se  
habeat librum  
legis diuinæ

chia, Nabuchodonosoris & Darij apud Danielelem.

SIMON. Potestatem ne habent in animum & spiritum hominis? aut fidem edictis suis in pectora hominum imprimere possunt? IOIADA. Haudquaquam. In hoc uero edicta eorum prosunt, ut minus noceant impij, minus offendiculi, idololatriæ & blasphemie designent, per quæ saepe numero infirmi, uel ad Christum uenire impediuntur, uel à Christo deficiendi occasionem sumunt. Administratio ergo quæ per leges fit magistratum, hoc efficit, ut minus sit malorum inter mortales, ut pie, honeste, & tranquille uiuant: utcumq; intus impij malitiam tegant, erumpere tamen non audent, ut cæteros, qui pie uiuere uolunt, turbent & offendant. Solus deus cor inspicit & iudicat. Probatam ergo hanc propositionem puto, quod magistratui sit parendū. Nam si magistratus Christianus est, hoc magis ei obedire conuenit. Si uero ethnicus & impius, parere rursum debes, etiam si te in corpore & rebus premat, modo à deo & ueritate non auocet. Sed firmiorem eam ex scripturis reddamus. Lucæ 20. Christus dare iubet Cæsari quæ Cæsaris sunt, & deo quæ dei. Per Cæsarem uero omnem in mundo magistratum intelligit, cui subiecta sunt corpora nostra & res nostræ, 1. Reg. 3. Animus noster dei est, & in hoc deo plus debemus quàm homini. Petrus sic docet: Subditi estote cuius humane ordinationi pro-

Administratio  
per leges fit  
magistratum  
etiam si  
sit malus  
inter mortales

pter dominū, siue regi tanquam præcellenti, siue præsidibus ab eo missis, ad uindictam quidem nocentium, laudem uero recte agentium: quoniam sic est uoluntas dei, ut benefaciendo obturetis os hominibus ignorantibus &c. SIMON. Non ita dudum docuistis ex Esaia & uerbis Christi frustra coli deum mandatis & præceptis hominum: iam ex Petro diuersum imò contrarium adseritis, parendum scilicet esse omni humanæ ordinationi. IOIADA. Humane traditiones seu cōstitutiones bifariam dici possunt.

Traditiones  
humane in  
duplici sunt  
differentia.

*frange frange  
hinc pueri int  
augmst hinc*

Quædam in hoc constituuntur ut cultus sint dei, quas homines alijs præscribunt, quasi necessarias ad salutem, quas si homo omittat, peccet: si fecerit, deum demereatur. Et his mandatis, quæ pura figmenta sunt hominum, frustra colitur deus. Sunt rursus cōstitutiones quædam magistratuum de hereditatibus, de proprietatibus, de uenditione, locatione, de contractibus publicis, & quidquid huius generis est de quibus principes & magistratus ad pacem & tranquillitatem publicam statuunt. Hisce omnibus omnes obedire tenentur. Et de talibus loquitur Petrus, ut ex uerbis eius satis apparet. Atq; hæc non ethnicis, sed Christianis passim dispersis scribit Petrus 1. Petri 2. Ad Titum 3. capite sic habet Paulus: Admoneto illos, ut principibus & potestatibus subditi sint, ut magistratibus pareant, ut ad omne opus bonum sint parati, ne de quoq; male dicant

maledicant &c. Ad Romanos 13. dicit: Omnis anima potestatibus excellentioribus subdita sit. Nā potestas nō est nisi à deo. Quæ uero potestates sunt, à deo ordinatæ sunt. Itaq; quisquis resistit potestati, dei ordinationi resistit. Qui autem restiterint sibiipsis iudicium accipient &c.

AN LICEAT REPVGNARE MAGISTRATUI. Item contra eos qui magistrati rebelles sunt.

S I M O N.

**D**ic Ioiada, si magistratus esset (ut sunt prohdolor pleriq;) qui recti, sani, & iusti nihil ageret, qui deo rebellis esset, bonos iniquis legibus premeret, iniuria afficeret, affectos iniuria non uindicaret & assereret, huic repugnare non licebit? An non Esaias malos magistratus fures nominat & latrones? Esa. 2. Christus potestatem tenebrarum? Paulus Ananiæ maledicit Acto. 23. parietem dealbatum eum nominans. IOIADA. Magistratui impio & malo scelera omnino ostendenda sunt, ut ab his ad meliora auertatur, idq; fieri debet modo tempestiue, modo intempestiue. Pauli factum non nihil occasionis habet. Tu Pauli similis fias, & factum deinde Pauli imitare. SIMON. Quid uero prodest si scelera

III.  
TRACT.

*Impio magistratui  
omnino scelera  
ostendenda sunt  
ut ab his ad meliora  
auertatur*

principum & magistratum taxentur, ipsi uero scelerati esse pergunt? Hic (quantum ego uideo) præstaret ut e medio tales tollerentur, quemadmodum Iehu & ceteri fecerunt. IOIADA. Quorsum Simon, quorsum? Quam tibi excidisti, an non uos catabaptiste armis abstinetis? Sed uideo quid futurum sit, si uobis omnia ex sententia euenirent, metuo ne uestra omnia tumultum & omnium rerum confusionem spirarent. Non sic mi Simon. Paulus dicit 1. Cor. 7. Maneat quisq; in ea uocatione in qua uocatus est. Seruus uocatus es? ne sit tibi cura: quin etiam si potes liber fieri, potius utere. SIMON. Audis ergo quod libertatem seruituti, præfertet monet ut si fieri possit, libertatem expetat. IOIADA. Audio libertatem optandam, & si fieri possit etiam amplexandam esse, sed non audio hanc expetendam esse per seditiones, per tumultus, per malas artes, per uim, per sanguinem, per bella. Nec apostoli istis medijs usquam sunt usi, quo liberi fierent: nobis ergo ab his quoq; temperandum. Si res gerantur nostro consilio, singulis horis tumultus ciatur contra magistratum, quando quiuis, ut non pro uoto quæq; succederent, tumultuari incipiet, & dicere: Magistratus impius est, contra ius & æquum mihi fecit &c. An non hoc pacto Christianum nomen uelamentum esset tumultuum, affectuum, cupiditatum & perturbationum omnium? SIMON. Omnino aliquando

libertatis optanda  
 ut sit amplexanda  
 Audis istud non  
 perditio



aliquando res tentanda erit, nihil apud tyrannos uerbis efficies. Mox ut eorum tyrannidem & flagitia taxas, incandescunt, minantur, capiunt, in uincula coniciunt, proscribunt, in exilium deportari iubent, interficiunt denique pios. His rebus neque pietati, neque iustitiae, neque bonis consultum est. Non est ergo quod huic morbo succurras, nisi tumultu & gladio, ut è medio tollantur impij. IOIADA. Quod coram hominibus impossibile uidetur, coram deo possibile est. Hoc ergo tam arduum & graue negotium ardentissimis precibus deo committi debet. Is enim dicit: Mihi uindictam & ego retribuam. Certissimum autem est, quod deus suos nunquam deserit, nec ope sua destituit quicumque sincero corde, & uera fide eum inuocauerint, Lucae 18. SIMON. Sed nimis sero plarisque succurrit. IOIADA. Qui uere pij sunt, ijs nihil maturius, nihil serius uidetur, quod operatur deus. Grato animo suscipiunt quaecumque pius pater dat, siue leta sint siue tristia, semper se in manu clementissimi patris sciunt sitos esse, è qua nemo eos eripere potest. In hunc patrem pientissimum se totos committunt, uoluntati eius se totos resignant, memores illius quod Petrus dicit: Nouit dominus è tentatione eripere pios, iniustos autem in diem iudicij puniendos seruare. Item illud Dauidis: Non uidi iustum derelictum. Item Pauli dictum: Non sinit nos tentari supra id quod

*p. h. g. ex.  
fortitudo  
auctore in m. l.  
l. v. v. v. v. v.*

*In afflictione  
ne oradum.*

*Vere pijs grato  
animo suscipiunt  
quaeque pius pater  
dat siue leta sint  
siue tristia*

Quomodo  
in afflictio-  
ne agendum  
pijs.

possumus, & facit cum tentatione exitum &c. Omnia  
no suos asserit deus. Aut enim corda tyrannorum &  
principū illustrat, ut fauore suos prosequantur, quem  
admodum fecit Pharaoni erga Iosephum, Cyro erga  
Iudeos, Xerxi in Esdram, Artaxerxi in Nehemiam,  
Ahasuero in Mardocheum, Nabuchodonosori in Da-  
nielem, ut fideles & pij non nihil respirationis haben-  
ant. Aut si omnino statutum est tyrannos & impios  
perdere, talibus ac tantis signis id auspiciatur, ut nemo  
de bona uoluntate dei dubitare possit, & rē cœptam  
fausto fine claudit. Si quis iam extra hunc ordinem li-  
berationem meditatatur, quasi ex deo rem cœperit, tan-  
tum efficiet, quantum Ismaël cōtra Babylonios in in-  
terfectione Godoliæ 4. Regum 25. & Hierem. 40. Sed  
age exempla quedam ex armamētario scripturarum  
proferemus, quibus manifestum fiet, & qua ratione  
deus suos liberet, & quā infeliciter tentetur ab his  
qui audacia & tumultu contra dei uoluntatem euan-  
dere conantur. Populus Israël in Aegypto aliquot se-  
culis seruiuerunt, uarijs laboribus pressi, grauitēq; ad-  
flicti: super hæc coacti sunt uidere ut nati pueri in Ni-  
lo à partu mergerentur. Mox ut ad dominū uero cor-  
de clamare cœperunt, exauditi sunt à domino. Mosen  
enim misit qui dux esset & liberator populi. Suos per  
mare sicco pede transduxit, Pharaonem cum suis in  
profundo pelagi submersit. Exodi 14.

Saul

Saul rex Israëliitarum prophetas dei interfecit, Dauidem persequutus est innocentem. Non se uindicat Dauid, nec regno pellit Saulem, quin ipse fugit, & quum bis in manus eius incidisset, pepercit, & abire illesum permisit, dicens: Propitius sit mihi dominus, ne faciã hanc rem domino meo christo domini, ut mittam manum meam in eum, quia christus domini est. Viuit dominus, quia nisi dominus percusserit eum, aut dies eius uenerit ut moriatur, aut descendens in praelium perierit, propitius mihi sit dominus, ut non mittam manum meam in christum domini. 1. Reg. 24. Alias quum Abisai diceret: Cõclusit deus hostẽ tuum hodie in manus tuas: nunc ergo perfodiam eum lancea in terra semel, & secundo opus non erit. Dixit Dauid ad Abisai: Ne interficias eum, quis enim extendet manum suam in christum domini, & innocens erit? 1. Reg. 26. Hęc uerba, mi Simon, recte expensa, docent, nobis impetum carnis nostrę nequaquam sequendum esse. Quum enim appeteret tempus quod constituerat dominus, tulit è medio Saulem non Dauid, sed dominus ipse, gladio quod ipse immiserat, & Dauidem in solium regni euexit. Sæpius adflicti sunt filij Israël sub tyrannis & impijs, ut habet Iudicium historia, nemo liberationẽ suo Marte molitus est. Dominus uero liberauit eos per Gedeonẽ, Samsonẽ, Iephte, ceterosq; quos ipse ad huiusmodi negotia delegerat.

Quis tumultu adgreditur regem impium Achab,  
 quum idola erigit, Naboth innocentem & bonum ui-  
 rum lapidibus obruere iubet, nec ius nec æquum ser-  
 uat, prophetas trucidat, Heliam persequitur? donec  
 Helisæum excitat dominus, qui mandato domini Iehu  
 in regem ungit, ut pro domino uindictam de impijs  
 sumat, 4. Reg. 9, 10. Sic Ioiada Athaliæ: sic rex Assy-  
 riorum Manassi fecit. Quâto tempore Cæsares Roma-  
 ni Christianum sanguinem fuderunt? nemo tamen per  
 tumultum id mutare tentat, donec Constantinus Ma-  
 gnus ueniret. Possem referre Atheniensem Thrasyl-  
 bulum, et Heluetiorum Guilielmum Tell & Stouffas-  
 ker, sed scripturæ exemplis contenti erimus. SI-  
 MON. An ergo tyrannis semper impune impijs  
 esse licet? qui ex uerbis Pauli Roma. 13. pretextum  
 malitiæ suæ sumunt, sub quo fraudant, furantur, latro-  
 cinantur, trucidant, & nihil non tentant, nouis exa-  
 ctionibus populum subinde deglubunt, luxu, ebrieta-  
 te, ludo, scortatione, bellisq; perditum sunt: & pessima  
 quæq; designât. Ego uero tibi ex Hieremia, 15. osten-  
 dam populum puniri à deo, dum impune sinunt gras-  
 sari tyrannos. Post quatuor enim plagas quas illic re-  
 censet mox causam subiicit, dicens: Et dabo eos in fer-  
 uorem uniuersis regnis terræ: id est, concitabo in fu-  
 rorem contra eos regna terræ, propter Manassen fi-  
 lium Ezechiae regis Iuda, propter omnia quæ fecit Hie-  
 rosolymis

rosolymis. De flagitijs quæ designauit uide 4. Reg. 21. Si Iudæi regem suum non ita impune consceleratum esse permisissent, à deo non tam grauitè fuissent adflicti. Oportet oculum offendentem effodere & abijcere: sic de manu & pede. IOIADA. Duplex est quæstio. Prima, Mouendus ne sit loco tyrānus? Altera, Quo pacto aut per quos? Nihil ergo inficior tollendum esse magistratum pessimum, sed nō hoc pacto quo tu uis. Non est ut eum trucidet, nec ut bellum ac tumultum quis excitet, alijs enim uijs res tentanda, quia in pace uocauit nos deus, 1. Cor. 7. Omnino tollendus est tyrannus, nam & Saulem ab officio depōnit Samuël, & Dauidem in regem ungit super populum Israël. Athaliam regno eijcit Ioiada, & IOAS præficit. Si ergo communibus suffragijs creatus est rex et incipit esse flagitiosus, cōmunibus uotis rursus eijciatur, nisi omnes cum eo puniri uelint. Quod si consensu & electione paucorum principum est electus, significet populus illis flagitiosam huius regis uitam, atq; edicat ferendam hanc haudquaquam esse, ut eum loco moueant qui inangurarunt. Hic iam labor est, nam qui hoc faciunt, in eos pro libidine sua tyrannus grassari incipiet & quos uult mactabit. Sed gloriosum est pro iustitia et ueritate dei mori. Præstatq; pro iustitiæ defensione, quàm assentiendo iniustitiæ, aut dissimulando, postea cum impijs trucidari. Qui hoc

ferre non possunt, ferant libidinosum & insolentem tyrannum, simul cum eo extremum supplicium expectaturi. Adhuc tamen manus domini extenta est, & plagam minatur. Quod si alio quopiam casu, ut ui aut hereditate regnum inuasit, ferre hunc oportet, donec dominus liberet oppressos, ne motus per nos exciteatur. Regnum enim dei iustitia est, pax, & gaudium in spiritu sancto, Roma. 14. Non ergo desunt uiae per quos impij magistratus tollantur, sed deest nobis studium iustitiae & ueritatis, deest metus dei, & flagitia passim regnant. Non enim fieri potest, ut tyranni tantum liceat, nisi plures sint flagitiosi, per quos uim suam tueatur tyrannus. In primis autem propheta uocales esse debent & principum malefacta taxare, nec alia uia uincendi tyrannidem comodior, quam ut uitam semel morti destinent uerbi ministri. Corpus obiectandum periculis & uerberibus. Nero, Domitianus, Maximianus, et reliqui, si Christi doctrinam trucidando & sanguinem fundendo excindere non poterunt, multo minus insani principes, sed quum nos intrepidi steterimus. Haec ergo prima uia, ut speculatores non sint caeci, canes sint non muti, ut murum se inter peccata populi & deum ponant, ut diruptam sepem reficiant. Proxima, ut indefessis precibus aures irati dei pulsemus, qui hypocritas regnare facit propter scelera nostra. Postremo, ut sitiamus iustitiam, ut emendemus

demus

demus uitam, ut mutemus mores. Si enim pij et iusti fuerimus, impossibile est ut diu regnet tyrānus. SIMON.

Totus Israël à Roboam defecit à morte Solomonis, quod nimium eos pressit, idq; suo Marte, 3. Reg. 12.

IOIADA. Cur non legis quæ illic sequuntur: Et non acquieuit rex populo, quoniam auersatus fuerat eum dominus, ut suscicaret uerbum suum, quod locutus fuerat in manu Abiæ Silonitæ ad Hieroboam filium Nabat. Neq; his probare poteris ut liceat cuiuis impetum facere pro libidine sua in tyrannos. SIMON. Metuo ne hæc doctrina ignauos & socordes faciat homines, ut si quando dominus liberatorem mittat, dubitent de uoluntate domini. IOIADA.

Aliud cura. Vbi tam grandia inceptat deus, non adhibet socordes & ignauos homines: sapientiam præstat, fidem, fortitudinem, robur, & ad destinatū finem omnia producit. Quod in Mose et Gedeone cæterisq; uidere licet. Ad pacem omnia dirigit pius. Deinde scit populum simul plecti si male regnant principes. Hæc pium & fidelem hominem anxium reddunt, & studio quodam pietatis accendunt, cautum reddunt & circumspectum non audacem & præfractum, urgent ut deum anxie precetur, & die noctuq; de emendatione omnium eorum quæ contra deum fiunt cogitet. Iam deus uias ostendit quibus uota piorum perficiantur, nec deserit in se sperantes, non repellit ad se clas-

LIBER III.

mantes. SIMON. Quum impune sibi omnia licere uidet tyrannus indies peior fit & insolentior.

IOIADA. Quidquid uideat, hoc sibi certo persuadere debet, sibi, si sceleratus esse pergit, certissimum imminere exitium. Nemo unquam impune tulit, si longanimitate dei sit abusus.

SIMON. Cur ergo in superioribus dixisti, eos Iudæ Gauloniti similes esse, non Christianos, qui magistratui non obediunt?

IOIADA. Quòd nemo piorum magistratui repugnat. Nam quum apostoli monent ut magistratibus ethnicis pareamus, quis non uidet Christiano homine indignum esse, ut Christiano magistratui sese immergerum præbeat?

SIMON. Recte illa dicerentur, si magistratum haberemus Christianum.

IOIADA. Magistratum Christianum uoco eum, qui in Iesum Christum baptisatus est, qui in Christum credit, hunc confitetur, euangelium eius audit, quod & apud suos prædicari permittit, nec persequitur, sceleribus et iniustitiæ (quantum fieri potest) obstat, malos qui publice offendunt, punit, et omnem curam huc intendit, ut gloria dei crescat, pie, honeste, & tranquille in republica uiuatur. Nec desunt tales in magistratu hodie, gratiæ deo, quod uobis nemo persuadere potest. Vos enim Christianum neminem censetis, qui uobis non adheret, qui doctrinam uestram non recipit, qui aqua à uobis accepta non abluatur, utcumq; hæc  
uestra



uestra moribus Christianis, & legibus publicis repugnent. Nec dici potest quam amara quamque uenenata in magistratum hic euomatis. SIMON. Mihi ista nunquam placuerunt. IOIADA. At fiunt ab istis. Grauia quaedam ex Psalmis & prophetis decerpunt, quae meditata in magistratum iaciunt, idque amarissime. Placent haec immorigeris & inobedientibus magnopere, quum scriptura dijs (Sic enim magistratus & iudices uocat) maledicere prohibeat. Graphice hos depingit sub nomine falsorum prophetarum Petrus in posteriori epistola cap. 2. Magistratus (inquiunt) o ciues, Christianus non est, uerum uos obedite illi. Ipsi uero ne in minimo quidem obedire sustinet, iuramenta magistratibus praestita non seruant, & magistratus omnes abolere moluntur, ut liceat eis quodlibet. Paulus dicit: Si non uis timere potestatem, fac quod iustum est: isti uero potestatem metuumt (abolere enim conantur) malum ergo facere uolunt. Iudae ergo Gaulonitis, et Sibae filij Bochri socij sunt, quorum uterque dum perduellio est, digna morte trucidatur. De Iudae Gaulonite uide Ioseph lib. antiquit. 13. cap. 1. Act. 5. Seditionem mouit in plebe, quam spe libertatis falsa seducens, cum multis tandem perijt.

De Siba est 2. Regum 20. Filij Belial tales seditiosi in scripturis appellantur. Quare si me audis Simon, falsa hac opinione relicta ueritati post hac adherebis,

et magistratui obedies. SIMON. Parebo con-  
silijs tuis, nam satis superq; hanc opinionem mihi ex-  
misti. De Iureiurando uero quod sentis ne me cales.

QVOD CHRISTIANVS AD ROGA-  
tionem iurisiurandi à magistratu uocatus, sa-  
cramento respondere et possit  
et debeat.

## IOIADA.

V.  
TRACT.

Q Vid hac in re dubij habes? an tu putas id  
Christiano non licere? SIMON. Haud  
quaquam licere puto, Nam Christus Matth.  
5. manifestis uerbis iurare uetat, dicens: Ne iuretis om-  
nino, Cui Iacobus 5. capite consonat. An ergo iustu-  
randum iuramentum non est? Quid multis? Christianis  
fora interdiciuntur, quid ergo ad eos iuramenta?

IOIADA. Quod Christianis hominibus cau-  
sas in foro pro rebus ad hanc uitam necessarijs agere  
liceat, ex superioribus satis probatum est ex cap. 6.  
prioris epistole ad Corint. Omnis autem erroris oc-  
casio hinc serpit, quod Christi sententiam Matt. 5. aut  
non uidetis, aut uidere non uultis. Quandoquidem  
igitur rerum uocabula ignoratis, facile fit ut in re  
ipsa erretis et hallucinemini. Ea uox Germanica  
(Schweeren) cui uos Græcam εἰπιλογεῖν, Latinam  
iurare,

iurare, simile putatis, aliam significationē habet atq;  
 uos consideretis. Quum enim Germanice dicimus:  
 Der Schwereit/ Hic iurat, incertum est an iusiurandū rogetur, an deieret. Ita patet significatio illius  
 uerbi ut ad utrunq; sit æque proprium. Latinus iuran  
 di uerbo in bonam partē semper utitur, hoc est pro sa  
 cramento rogandi. Sed deierandi uerbo utuntur pro  
 ea iuratione, quæ uel uero uel falso fit extra sacramen  
 ti rogationem, quod Germanice noua uoce possemus  
 (Zuschwereen) uocare. Ad quam significationem  
 etymon Græci uerbi probe quadrat ἐπιρκῆν. Ha  
 bēt itaq; Latini tres uoces, iurare, deierare, et peiera  
 re. Prima significat sacramēto rogare. Secūda temere  
 ad quamuis rem, siue uero siue falso adiurare. Tertia  
 falso iurare. Vult ergo Christus Matthæi quinto, non  
 uetare quo minus iuremus, sed ne unquam deieremus.  
 Hoc dam catabaptistæ non uident, uolentes ac uiden  
 tes labuntur. SIMON. Ita tu quidem exponis.  
 IOIADA. Hunc esse uerborum Christi sensum,  
 iam ostendam. Inquit ergo: Audistis, quia dictum pri  
 scis, Ne ἐπιρκῆσῃς, id est, ne deieres: ubi nostra inter  
 pretatio habet, nō periurabis, non adeo pessime. Nam  
 peierandi uerbum, ut nunquam in bonam partem ac  
 cipitur, sic nō semper accipitur pro iusiurandū uiola  
 re, transgredi, aut simulate prestare: sed nonnunquam  
 pro deierare, quum deierare in malam partem acci

Iurare.  
 Deierare.  
 Peierare.

pitur. Accipitur enim nonnunquam in bonam quoque  
 partem deierare, ut aliquando obseruauimus. Quum  
 ergo Christi uerba sic habent: Non periurabis dictum  
 esse priscis, nusquam inuenies apud Hebræos hoc per  
 iurij interdictum, sed neque apud Græcos. At sic inue-  
 nis Exodi 20. Non sumes nomē domini dei tui temere,  
 Vbi noster interpres dixit, In uanū. Secundo inuenies  
 Leuitici 19. Non iurabitis in nomine meo ad menda-  
 cium. Vbi Græcus sic est interpretatus, οὐκ ὀμῶδες  
 τῷ ὀνόματί μου ἐπ' ἀδίκῳ, id est, Non iurabitis  
 nomine meo ad iniquū aut falsum. Vbi Latinus sic est  
 interpretatus: Non periurabis in nomine meo. Vides  
 ut diuus Hieronymus eleganter est periurandi uerbo  
 usus pro falso deierandi, non pro iusiurandum non uio-  
 landi. Fuit ergo priscis interdictum ne temere nomen  
 dei adsumerent, hoc est, quemadmodum Leuitici dicto  
 loco exponitur, ne ad mendacium deierarent. Ex hoc  
 iam intellectu apud Iudæos hæc opinio nata est, quod  
 si nomen dei adsumeretur ad uerum, nihil officeret ea-  
 tiam in quotidiano ac familiari sermone, sed ad rem le-  
 uem, uanam, falsam, aut eumentitam non liceret nomen  
 dei adsumere. Iam aliud quoque falsum ex uerbis dei ca-  
 ro collegit, nempe, uetitum hoc præcepto esse dunta-  
 xat, ne deierando nomen dei usurpemus, cæterum li-  
 cere si quis per cælum, per terrā, perque cæteras crea-  
 turas deieret, neque peccatum esse si quis huiusmodi

res sermoni adhibeat, modo ne falsum dicat. Has uanas et falsas opiniones ex uerbo legis diuinæ non rite intellecto subnatas, Christus, legis interpret, ex animis suorum euellere nititur, & docet, quod neq; ad falsum neq; ad uerum, neq; per dei nomen neq; per ea quæ dei sunt, in familiari sermone deierare debeant, sed sic omnia uere tum loqui, tum agere: ut si quis dicat uox, hoc est, etiam, iam proximus sic sit de eo persuasus, ut sciat uerū esse quod dixit alius: si dicat, non, contra sciat non esse. Atq; hic de iureiurando prorsus nulla fit mentio. Sic enim habet: Audistis quia dictum est priscis: Non periurabis, aut nō deierabis. Vbi hoc dictum est? Ibi scilicet ubi non agitur de periurio, sed de deierādo siue deiurio. Ibi mittebatur, ut ad rem ueram nomen dei tui adsumeres, quæ doctrina non legis dei erat, sed deuterotarum. Dictum est ergo priscis non à deo, sed à deuterotis qui legem spiritualem carnaliter intelligebant & alijs quoq; carnali sensu interpretabantur. Sequitur: Sed reddes domino iuramenta tua. Quorsum hoc attinet? Si de iureiurando loquitur nunc, ubi prior locus (non periurabis) habetur in hunc sensum, non falles iusiurandū? Constat ergo, ut de eis deierationib. loquatur, quibus sese quisq; temere recipit aliquid facturum: quasi dicat per parenthesim (Sunt enim domino reddenda quæ iuraueris) recte scilicet aut iure, ut hoc pacto à deierando

uel adiurādo deterreat, quasi periculum sit dominum  
 imputaturum etiam si temere recipias. Sequitur: Ego  
 autem dico uobis, ne iuretis omnino. Ecce de qua iura  
 tione loquitur, de ea nimirum quam prisci sibi per len  
 gem putabant permissam, licere scilicet sibi ad rem ue  
 ram atq; dignam deierare per nomen dei aut alterius  
 rei. Christus autem docet quod neq; ad rem ueram, &  
 quantumuis magnam debeamus nostra, hoc est, priua  
 ta authoritate adiurare, deierare, aut polliceri. Quam  
 sententiā quæ sequuntur firmiorem faciunt, cum ait:  
 Neq; per cœlum, nam thronus dei est: neq; per terram  
 &c. Per hæc exempla fit manifestū, q̄ nullam iuristu  
 randi mentionem hic facit Christus. Quis enim He  
 braeorum unquam per cœlum, terram, Hierosolyma,  
 aut caput suum iurauit? Contra uero quis non per ista  
 deierat? Alius pollicetur munus per crucem dei, alius  
 per cœlum & terram deierat. Hæc ergo uetat Chri  
 stus. Ad idem facit ipse totius sermonis colophon: Sit  
 aut sermo uester est est, non nō. Hoc est, si dicatis etiā,  
 etiam sit: si dicatis non, non sit. De sermone dicit, non  
 ergo loquutus est de iureiurando, nihil enim attulit  
 aut de foro, aut tribunali, aut magistratu, sed de sermo  
 ne quotidiano, quo inter nos familiariter utimur. SI  
 MON. Si pace tua dicere ausim, nimis languide  
 hanc sententiam mihi uideris tueri. IOIADA.  
 Credo, Sed si accuratius quæ Exod. 20. & Leuit. 19.  
 scribuntur

scribuntur expenderis, cum apud Hebræos, tum apud Græcos & Latinos, scio mecum senties. SIMON. Ego puto iusiurandum Christianis omnino non licere. Iusiurandum enim confirmatio est inter eos qui litigant aut promittunt. Christianis litigare haudquaquam licet. Et in lege præceptum est ut iusiurandum fiat per nomen dei solius, uere non fallaciter: Christus autem qui legis perfectionem docet, uetat omnem iurationē suis, ne uel recte uel falso iurent, neq; per coelum neq; per terram &c. IOIADA.

Mirum est quod uos catabaptistæ subinde principium petitis, semper eandem cantilenam canitis, falso innitentes fundamento. Adhuc enim non probastis, his uerbis Christi iusiurandum illicitum aut uetitum esse. Sic enim colligitis, sed falso: Christus uetuit ne omnino iuremus, ergo iusiurandum uetuit. In quo, uerbo Christi uim facitis, quod ex collatione uerborum eius, & legis Exod. 20. & Leuit. 19. manifestum fit. In his enim locis non iusiurandum, sed deieratio uetatur. SIMON. Si priscis quoq; deieratio uetita est, cur ergo Christus dicit: At ego dico uobis? Idem enim diceret quod ueteribus dictum iam dudum erat. (At) dictio aduersatiua est, quæ contrarium sensum infert. Videtur ergo aliud dicere nobis, quàm dictum sit ueteribus. IOIADA. Satis de illo superius dictum est. Dictum quidem erat. priscis ex lege dei ne deiera-

rent, nec nomine dei falso abuterentur. Posteaquam uero ex falsa intelligentia legis error increuit, ut putaret sibi licere nomine dei uti ad serios sermones, corrigit Christus hunc errorem, dicens: At ego dico uobis. Quae uerba non ad mentem legis primam, sed ad expositionem legis falsam respiciunt, nam si legem iuxta mentem legislatoris intellexissent, non dixisset Christus: At ego dico uobis. Quandoquidem uero lex dei non nihil humanis adfectibus a natiuo sensu detorta fuit a deuterotis, noluit Christus (qui omnia ad perfectionem ducit) ut populus in hoc errore perseveraret, exponit ergo legem, et spiritum legis explicat, non solum in hoc praecipito, sed etiam in caeteris quibusdam: quale est de homicidio. Dicit enim lex: Non occides. Iam error inualuit, ut putarent satisfactam legi huic si manu non trucidarent, utcumque lingua et odio homicidia essent. Christus hunc errorem emendans dicit: At ego dico uobis, quisquis irascitur obnoxius erit iudicio, non is duntaxat qui manu percutit, quemadmodum uos existimatis. In hoc omnino est Christus, ut iustitia Christianorum, phariseorum iustitiam longe uincat, qui legem foris simulabant, fide et charitate non exprimebant nec praestabant.

In hoc uero quod dicitis iusiurandum non licere Christiano homini, crasso quodam errore hallucinamini, quum nemo per nomen dei iurare possit nec debeat,



beat, quàm pius & metuens dei. Quod ad gloriam dei facit, & quod in lege præceptum est, tu putas filium antiquasse? Quasi uero filius & pater unum non sint, & quod alter statuat, alter abroget. Nemo dicat Christum in hoc uenisse, ut legem eneruet, sed ut elan- guidam traditionibus hominum instauret, qua parte format animum atq; ad dominum reducit, perficit omnino quod pharisaica doctrina deciderat, redditq; legi quæ ablata erant per homines, amputat sedulo quæ usu temere accreuerant, imò maiestatem legis mandato decretorum implicitam, in libertatem spiritus reducit. Tantum abest, ut quæ honorifica sunt, & causa gloriæ dei instituta, (quemadmodum iusiurandum) abrogaret. Itaq; iusiurandum Christus simpliciter non negat, qui uoluntatem dei, et eius gloriam unice promouet: sed solum cauet, ne sui per alias res aut temere aut falso iurent, apud quos licentia deierandi inoleuerat. Mira enim petulãtia erat deierandi temere, quem admodum & nostra tempestate, ubi in testimonium et cœlum & terram aduocamus, sicut humana leuitas per licentiam in omne nephas turpiss. ruit. Hoc pacto Christus nihil nouat in lege, sed uetera instaurat abolita traditionibus humanis: in animo autem credentis collato suo spiritu nouat omnia.

Iurare ergo seu potius deierare omnino uetat suis, iuxta placita scilicet ueterum & phariseorum, sed

Quis possit  
iurandū  
præstare.

iuxta scripturam sanctam iurare non uetat, quæ ex eodem spiritu existit quo Christus ipse loquitur, et quæ sibi semper constans est atq; eadem. Iam temere aut falso non iuro neq; sane ex malo, dum id efflagitat, aut charitas proximi, aut ordo operum dei, aut ratio glorie illius, qui iureiurando politicam consuetudinem dilabatur hætenus cõtinet, sicut ex lege passim adparet iurandū apud iudicem tibi dictantem præceptum esse. Quem uero libido sinistra seu mala consuetudo ad iurandū instigat, is ex malo & impie agit dum iurat. Nomen enim dei uile ducit, & uane assumit. Ex bono autem esse, piusq; censeatur is qui iuxta ordinem à deo institutum ad utilitatem reuerenter & sancte iurat. Nã cor huius nihil loquitur quàm etiam etiam, non non. Malum uero publicum, quod homines sint mendaces, hoc est, quod homines adhuc & nondum Christiani toti sunt, externã nominis dei attestationem extorquet, quam proximo ad gloriam dei letus præstat. SIMON. Hoc te peto, ut paradoxon istud mihi enarres, quod solus Christianus homo possit iurandū præstare. IOIADA. Suo loco dicam, non enim patiar ut me extra orbitã ducas, quod catabaptistis peculiare est. Iã refellã tuam quam de iureiurando definitionem attulisti. Quis quæso uobis hanc definitionem iurandi indicauit? Vsum quidem non nihil attigistis, sed quod essentiale in sacramento

cramento est, aut ignoratis, aut per malitiam tacetis:  
 solum enim dicitis quo iureiurando utamur, sed quid  
 sit, aut quomodo fiat tacetis, nam si id candide trade-  
 retis, non tantopere à iureiurando abhorrerent homi-  
 nes. Verum hoc nō faceret ad consilium uestrum, quo  
 & magistratum ipsum, & eum neruum quo consi-  
 stit, dissoluere pergitis. Tolle iusiurandū, iam omnem  
 ordinē in rebus publicis soluisi. Vocabit consul senato-  
 rem, non parebit. Dices licet præcipiat ut eum uin-  
 ciat. Quomodo parebit licet? Videt consul catabapti-  
 stam in hoc esse, ut plebem ad perduellionem trahat,  
 curare uolet ne quid mali respublica patiatur, interdi-  
 cit ne in oculo pseudapostolus doceat, palam enim do-  
 centem reuicerunt qui ab euangelio syncerius intel-  
 lecto stant. Hic iterum uetat, quo minus doceat siue  
 publice, siue priuatim: catabaptistam omne imperium  
 contemnentem præhendi iubet. Non paret licet, quis  
 præhendet? Consul ipse? At catabaptista robustior est.  
 Vides ut omnis ordo nobis perit, cum iusiurandum e-  
 reptum est. Quod si diuinæ literæ hoc uellent, nihil  
 morarer, is enim cuius prouidentia cuncta gubernan-  
 tur domui Israël nunquam defuturus est, sed non uult  
 hanc confusionem. Da enim iuxta catabaptistarū con-  
 silium, in aliqua ciuitate iusiurandum ac deinde magi-  
 stratum tolli, & de eorum sententia geri omnia, Dis  
 boni quæ confusio, rerumq; omnium mixtio? Nemo

Quā neces-  
 sarium iusiu-  
 randum ad  
 respublicas  
 cōseruādas.

Quid sit iurandum.

enim aequè destitutus est omni consilio, si quid incidere rit, quàm hoc hominum genus, clamoribus mederi rebus omnibus uolunt, ei medico, aut potius simulacro medici, qui unico pharmaco morbis omnibus occurreret, simillimi. Sed ad rem accedamus. Iusiurandum est dei contestatio ad aliquid decidendum aut præstandum. Hæc definitio non est nostra, sed eius per quem iuramus. Exodi enim 22. sic præcipit: Si quis dederit proximo suo asinū aut bouem, aut pecudē, aut quamuis beluam ad custodiendum, & ea moritur, aut perditur, aut à prædonibus (nemine uidente) rapitur, iam iusiurandum domini erit inter ambos istos, quod is ad quem deposita est belua, non miserit manum suam in rem proximi sui: et iusiurandum istud accipiet dominus beluæ, neq; is ad quem deposita erat quidquam restituet. Hic uides iusiurandum dei esse contestationem. Dicit enim: Iusiurandū domini aut dei, est enim יהוה Iehoua. Hæc autem contestatio nihil aliud est, quàm sui ipsius ad ultima supplicia diuinæ uindictæ, si fallat, deuotio. Quum enim aduocat testem, cuius solius se cultorem confitetur, quiq; falli minime possit, etiam si homo possit, per eius, cuius et cultor sit unice, quiq; solus nouit corda nostra, amissionē, testatur sese non fallere neq; falsurum esse. Hæc ergo authoritas, ad decisoriam partem iurisiurandi attinet.

Habemus & in Genesi 21. uerba Abimelech ad Abraham

Abraham, ad hunc modum: Iura ergo per deum ne noceras mihi et posteris meis stirpiq; meæ &c. Ac postea dicit Abraham: Iurabo. Et paulò post: Ibi iuravit uterq; &c. Hic iterum habemus contestationem dei ad aliquid præstandum. Iurat enim Abraham se non nociturum esse, quod & præstitit. Hoc inquam est iusiurandum si definias. Catabaptistæ solum decisionem uocant, & dei contestationem omittunt, ne simplices sic apud se reputent, Qui fit, ut non sit deus in testem ad uocandus, ubi proximi salus periclitatur? SIMON.

Proba quod Christianus possit & debeat præstare iuramentum. IOIADA. Si contentiosus non esses, iam diu satis esset probatum. Ex cap. uicesimo Deuteronomij iusiurandum anteambulones circumstantias habet, sine quibus iuste fieri non potest. Sic enim scribitur: Dominum deum tuum time, illi ipsi seruias, ei adhaereas, & in nomine eius iurabis, ille laus tua, illeq; deus tuus, qui tecum fecit eximia & terribilia ista quæ uiderunt oculi tui. Vide quomodo sit iurandum, & quibus gradibus ad iurandum accedatur. Iam idololatræ etiam si deum timent, non tamen rite timent, neq; ei seruiunt, quia quod in oculis ipsorum splendidum est, hoc aut deum, aut cultum dei impie affirmant, reclamante scriptura & uerbo domini. Adde quod uni deo non adherent. Qui ergo deo non fidit, idoneus non habetur ut iuret per nomen dei.

Comites  
iurifurad.

Nam primo deus ut benefactor piorum & uindex malorum agnoscendus. Deinde idololatria cauenda, quæ gloriam dei tribuit idolis. Postremo frustra non assumendum nomen dei. Quæ ratio ordinis (ut est Exodi 20.) indicat idololatram & alienum à timore domini, non posse non assumere nomen dei inaniter, quia nullius æstimat, leue igitur ducit quacumq; occasione peierare, modo à iudice & mundo tutum sit.

SIMON. Hæc probant impium non posse nec debere iurare per nomen dei, sed non probant quod Christiani iurare possint, quod tu probandum suscepas.

IOIADA. Alteram partem probaui contrariorum, ex qua altera facile colligi posset. Sed age et hanc iuxta pollicitationem nostram probabimus. Propositio nostra sic habet, Neminem posse iurare quàm piū. In hac propositione duæ sunt partes, aliquos nō posse iurare: aliquos posse solos. Sunt fideles: sunt infideles, omnino contrarij natura, nec medium dari potest. Infideles nō posse præstare iuramentum tu ipse fateris credo.

SIMON. Non inficior. IOIADA. Soli Christiani deo firmissime nituntur, quem unum præcipue timent, colunt, uenerantur, amant & ubiq; præsentem inspiciunt, à quo expectant & habent omnia, securi in medio discrimine. Ideo es flagitante gloria dei, aut proximi utilitate secure & sancte soli iurant. Qui iurat huius laus tutumq; persequitur.

gium deus est, ut patuit ex præcedentibus. Siquidem de uno deo gloriatur qui legitime iurat, tanquam teste uero et infallibili. Et iurans recolit etiam beneficia dei, quæ nemo neq; maiora, neq; magis præsentia Christianis agnoscet, utpote certis per Christum esse solutum precium redemptionis, quod impij ut maxime uerbis loquantur, animo non credunt. Omnium enim flagitiorum causa est, memoriam abiicisse beneficiorum erga se dei. Quam ne abijcerent Israëlitæ per opulentiam, ut solent homines, lex Deut. 6. præmonuit. In terra dum fructibus uesceris inquit, atq; exatiatus fueris, caue ne domini dei tui obliuiscaris, qui te eduxit de terra Aegypti, de domo seruitutis: cōtinuo subiiciens, Dominum deum tuū timebis, et illi soli seruies, & per nomen eius iurabis. Quo nos doceat, quod obliuiscēti gratiam acceptam exolescit timor dei, & animus colendi solum deum, et studium explicandi asserendiq; gloriam illius sacramento per nomen eius præstito abscedat. Atq; ut uideas, quàm per nomen dei iurare nequeat idololatra, post præceptum iuramentum eo loco annectit: Ne profisciscamini post deos alienos, quia deus zelotes est &c. Quamobrem olim ueteribus persuasissimum fuit, alienū à timore dei, uerq; domini cultu, iurare nomen dei haud posse, quod præceptum atq; cognitum haberent, iureiurando animi seruitium ac reuerentiã deo solide impendi, quem

Iurandis  
cultus est  
dei.

unum plurimi facit qui iurat, maximeq; ueretur, tam  
 ut secretorū cognitorem, quā ut ueritatis idoneum  
 affirmatorem, utpote iustum et uerum, impatientemq;  
 falsi ac mendaciū. Contra, prophanus & incogitans  
 horum nihil consyderat, nescit quanti sit deus, quan-  
 doquidem se unum maximi ducit, suiq; unius gratia  
 simulat atq; dissimulat quiduis, & nomen dei assumit  
 uanissime.

Pij ergo quum iurant, nomen domini palām testan-  
 tur, præcipuo loco amoris & reuerentiæ sibi deum  
 esse, sicut uulgo iurare solent per id quod eximie co-  
 lunt, ut per salutē Pharaonis, per coronā regni &c.  
 Non igitur cuiusuis est iurare, sed ad pium tantū per-  
 tinet, sicut prophetae frequentissime iurarunt, quo po-  
 pulum ad æqualem nominis dei reuerentiā inuitarent,  
 hoc est, deū testati sunt, se loqui ex animo, & ut præ-  
 ceptum & cognitum dicere, quidquid eiusmodi dice-  
 bant. Atq; hoc est optimi exempli, iureiurando quæ-  
 de deo sentias in proximi utilitatem uere contestari,  
 atq; se in illius ueritatem totum permittere, qui ubiq;  
 præsens est, iustus ultor perfidiæ, filijsq; ueritatis cle-  
 mentissimus. SIMON. Non solum Christus  
 in nouo testamento iurare uetat, sed & pater in uete-  
 ri, ut Osee 4. Zachariæ 8. Hierem. 44. IOIADA.

His tribus locis innumeros oppono, quibus deus  
 præcipit suis ut iurent, laudatq; eos qui per nomen  
 suum



suum sancte iurant, & eis promittit gratiam fauorem  
 & salutem. Deut. 6. 10. Esa. 45. Hierem. 4. Psal. 62.  
 14. Vbi quoq; ex Hieremia obiter notandum quibus  
 cōditionibus iusiurandū fieri debeat, nēpe in iudicio,  
 in iustitia, & ueritate. Quod & proposito nostro ser-  
 uit, quod nemo nisi pius iuret, quia is solus in ueritate,  
 iudicio, & iustitia iurat. Quid quod deus ipse per se-  
 metipsum iurat frequentius? Et Abraham fidei exem-  
 plar regi Abimelech: Paulus pluribus locis: Christus  
 deniq; non semel Gen. 21, 22, 2. Tim. 4. Ex quo tibi fa-  
 cile scrupus eximi potest, cur deus scilicet iurare ue-  
 tet, nempe ijs qui nō rite iurant, omittentibus ea quæ  
 ad iusiurandum pertinent, ut Iudæis sæpe prohibet ne  
 iurent Osee 4. Hierem. 44. Erant enim & ipsi ad imi-  
 tationem Israëlis idolis mancipati, nihilo minus reli-  
 giosi & pij uideri cupientes, falso animo præ se fere-  
 bant gloriam dei, idq; per iuramenti consuetudinem.  
 Odit uero deus hypocrisim, maxime autem in præci-  
 puo suo cultu, cuiusmodi est iusiurandum religiose  
 præstitum. Proinde post prohibitam idololatriam, de  
 iuramento per nomen dei uitando cauet, tum amo-  
 uendæ hypocriseos causa, tum gratia reducendi eos  
 ad obedientiam. Nam dum audiunt interdictum ipsis,  
 ne iurent, (uiuit dominus) neq; huius causam audiunt,  
 cogitatione se ad legem ponant de iureiurando seue-  
 re statuentem Deut. 6. & 10. moxq; deprehendant,

Cur quibus-  
 dam iureius-  
 rando sit in-  
 terdictum.

nefas ipsis iurare propterea, quod ex abundantia rerum in obliuionem dei prolapsi, timorem domini, ueramq; animi seruitutem abiecerint. Id quod ex eo ipsis constat, quia frequentabāt interdicta sacra idolorum in Gilgal et Bethel: facileq; in mentem reprehensis uenire potuit, tum dignos fore iterum, ut iuxta præceptum domini iurent (uiuit dominus) si quando ex beneficijs, amplitudine dei quomodocunq; cōcepta eius numen reueriti, soli cœperint supplicare ac fidere. Quem in modum ijs qui ignominia sepulti erāt, quod ab adolescentia deo non auscultassent per Hieremiam dominus promittit reuersis ad se reiecta idololatria facultatem iurandi, dicens: Si reuerteris Israël, ad me si reuerteris, & si semoueris idola à facie mea, tum non moueberis: et iurabis, Viuit dominus, in ueritate, in iudicio, & iustitia, Hierem. 4. Hoc ergo loco uides facultatem iurandi fieri ijs, qui ad dominum sunt conuersi, qui dum iurant ad utilitatem proximi, pro reueritate, declarant se dei esse: adeoq; illos ob benedictionem domini propter legem custoditam (Nam iuramentum custodia legis est) prophanis quoq; gentibus admirationi fore, promittit.

Diuina ergo res est iusiurandum, sacra anchora ad quam confugitur quum humana sapientia ultra progredi non potest: quis enim nouit quid sit in homine nisi solus deus? Hunc ergo prodit qui falso per illum peierat.

peierat. Creditur enim per fidem et religionem quam in deum habet uel dixisse, uel seruaturus esse: ille uero per illum fallit. Quid uero commune cum deo habere poterit qui falso iurans, fundamentum dei ueritatem & iustitiam ipsam de deo remouet? In usum ergo proximi iusiurandum à domino præceptum est. Cum autem omnis lex et propheta de his duobus præceptis pendeant, Diliges dominum deum tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & ex omni mente tua: & Diliges proximum tuum sicut teipsum. Et ipsum iusiurandum, dei quem unice diligis & obseruas contestatio est, inq; proximi commodum datur: quis audebit præter omnem scripturæ authoritatem iusiurandum de populo dei tollere?

Summa linea est diuini cultus sancte iurare cum fiducia in deum, quam sacramenti uerbis abunde declaramus, & impletur à nobis primum præceptum quod dei charitatem præscribit: testamur enim diuini nominis obtestatione deum nobis præcipuo loco esse & magni precij in cordibus nostris, cuius gloriã hac obtestatione unice promotã cupimus, omnibusq; cognitam. Iã si proximi salus poscit ut iurẽ, ut omnis controversia et lis inter fratres dirimatur, ut cõcordia et pax cõfiat, ut obediatur magistratui, quis non uidet præceptum de charitate proximi implere? Iureiurãdo deus offendi non potest, uocatur enim testis ut si minime no

bis credatur, at ideo credatur quod propter quam-  
 cunq; rem non simus illum prodituri. Nec proximus  
 offenditur, in eius enim usum iusurandum datur, ut  
 aut agnoscat uerū esse quod prius ignorabat, aut cer-  
 tus sit sibi à proximo uel non irrogatum iri quod de-  
 precatur, aut fieri quod optat. Tā abest igitur ut pius  
 non possit iusurandum dare, ut impius futurus sit qui  
 neget, dum res postulat hoc teste digna. In summa, iu-  
 risurandi per nomen dei ratio totum cultum dei &  
 religionem includit ac complectitur. SIMON.

Si pace tua fieri posset, plura haberem quæ propo-  
 nere tibi uellem, non ut repugnarem, sed ut scrupi qui-  
 dem quos adhuc habeo mihi per te eximerentur.

IOIADA. Profer si quid habes. SIMON.

Christus adiicit causam quæ mihi uidetur satis iu-  
 sta & sufficiens, cur non debeamus iureiurando roga-  
 ri, quod nihil possimus ne pilum quidē mutare. Vide-  
 tur ergo hac ex causa prohibita omnis iuratio, quod  
 nihil eorum prestare possumus, quæ iurando recipi-  
 mus. IOIADA. Si hæc legitima satis est cau-  
 sa, iam ne ipsum (etiam) uere poterimus proximo re-  
 spondere. Dicit frater fratri se crastino adfore, etiam  
 est. Non uenit uel morte uel morbo occupatus, non ob  
 id arguitur mendaciū, neq; ei quidquam imputatur, ne-  
 cessitas enim excusat. Sic etiam cum ad rogationem à  
 magistratu uocatus, iureiurādo respondet, non sic re-  
 spondet,

spōdet, ut dei summi potestas nō iure quoq; possit excipere. Quū aut iuraret Abrahā ipsi Abimelech, nōne iurabat se aliquid prāstiturū? Cur ergo fecit? quum catabaptistæ negent eum quidquam posse? imō contendant Christum id uoluisse? SIMON. In ueteri forte testamento liceret in nouo non item. IOIADA. At Abraham ante 430. annos hoc sacramento ante legem respondit. Et non fuit sub lege, sed sub fide. Apostolus enim patrem nostrum eum facit propter fidem. An uero peccatum aut malum esse potest quod deus ipse & Christus facit? SIMON.

Deus potestatem habet faciendi quod tibi prohibet: ipsi enim omnia sunt possibilis, tibi non item.

IOIADA. Si nihil nobis faciendum quod impossibile est factu, iam hostes nobis non erunt diligendi. Colligemus enim sic: Deus potest diligere inimicos, ego non possum inimicos diligere: ergo non debeo. Quis sic insanit? SIMON. Si per solium iurare non licet, quanto minus per deum ipsum qui in solio sedet? IOIADA. Ad hæc satis iam responsum est. Si de periurio aut deiurio loqueris, non inepte dicis, sic enim deus uetat quo minus deieremus. Si de sacramēto, ineptissime colligis, nempe sic: Si per solium dei non est sacramentum præstandum, ergo per deum ipsum non est præstandū. Per omnem enim creaturam non redditur iusiurandum legitime atq; ut

oportet, sed per deum. Iusiurandum species religionis est: qui enim sacramentum præstat, ad summam religionis sese religat. In religione summum est adoratio. Sicut ergo inepte colligitur, Solium non est adorandum, ergo deus non est adorandus: ita nihilo minus ineptum est, Per solium non fit iusiurandum, ergo neque per eum qui solio insidet fieri debet. SIMON. Quod de Apostolorum exemplo superius adduxisti, quod et ipsi iurarint, uidetur nimis uiolentum. Nam apostoli id modo testantur, quod à deo ipsi Abrahamæ per iusiurandum promissum erat, ipsi uero nihil promittunt. Deinde distant testari et iurare. Quum enim iuratur, promittuntur res futuræ. Seni Abrahamæ Christus promissus est, quem nos longo post tempore accepimus. Quum autem testatur quis, testatur super re præsentis, num uera bonaque sit nec ne, quemadmodum Simeon ad Mariam de Christo testabatur, Ecce positus hic etc.

IOIADA. Prædis ignorantiam tuam Simon. Nondum enim didicisti, testandi uerbum Hebræis in elegantissimo esse usu, nempe pro intrepide et constanter prædicandi uerbo. Quod autem testimonium dicere liceat, 1. Timoth. 5. patet. Aduersus presbyterum accusationem ne accipias, nisi sub duobus aut tribus testibus. Hic quæro primum, an de Christianis testibus loquatur apostolus, an de infidelibus? Si de infidelibus, ergo periclitabitur omni momento episcopus.

& cum eo ecclesia: quanto enim quisq; est sanctissi-  
 mus & innocentissimus, tanto infestius imminent per-  
 fidi, uidebiturq; Paulus male cōsuluisse, tum ecclesiæ,  
 tum episcopo quum testandi copiam incredulis facit.  
 Si autem loquitur de testibus qui intra ecclesiã sunt,  
 ergo licet Christiano testimonium dicere. Quæro igitur  
 secundo, an qui testimonium dicerent, iuratos in-  
 telligat, an iniuratos: si iniuratos, iterum periclitabi-  
 tur episcopus. Sunt enim multi falsi fratres, sunt mul-  
 ti, qui quanto diligentius aduigilat episcopus, tanto in-  
 fensius ad eius depositionē penetrant. Et in summa sic  
 est in rebus humanis, ut paucis credere iniuratis pos-  
 sis, quod apud Romanos soli Catoni usu uenisse aiūt,  
 ut scilicet iniurato crederetur. Imò non est uerisimile  
 ut intra ecclesiam testes unquam iniurati accepti sint.  
 Nam pro ea prudentia & spiritu, quo tum pollebant,  
 facile uiderunt, ut si iniurati consuessent dicere con-  
 tra episcopum, quotidie uanæ aduersiones ac motus  
 contra episcopum excitarentur. Hoc si paulò diligen-  
 tius expendissetis, non docuissetis iusiurandum non  
 esse præstandum.

Deinde dicitis iuramēto promitti res futuras. Quæ  
 ergo res futuræ promittuntur, quum is ad quem depo-  
 situs erat a sinu proximi, iuraret se manum non ad-  
 mouisse ad rem proximi? Videte quàm docte & pru-  
 denter digeratis nœnias uestras. Prius erat iusiuran-

dum decisio tantum inter litigantes, nunc est promissio tantum. Quid hoc aliud est, quam ut quidq; in buccam inciderit eblaterare? Quum autem quis testatur (inquis) testatur super re presenti num uera sit & bona, quemadmodum Simeon & c. Quid si apostoli testati sunt de re præterita, puta de Christo crucifixo per omnem orbem? Et eritis mihi testes (inquit Christus) non per Iudæam modo & Samariam, sed usq; ad ultimum terræ. Testabatur ergo apostoli de re præterita. Deinde & de futura testatur hic Simeon cum dicit Christum fore signum cui contradicetur. Quid uero Paulus testatur, quum de aduentu Christi ad iudicium dicit, an non de re futura? SIMON. Christus docet ut sermo noster sit etiam & nō, quid ergo opus iuramento? IOIADA. Semper extra oleas curris, & quum te uides deprehensum, diuerticulū queris ut elabaris anguilla lubricior. Vos Christi uerba aut non intelligitis, aut si intelligitis nō facitis. Quum enim multis in locis uos catabaptistæ sæpenumero etiam dixeritis, nunquam tamen etiam fuit. Cum relegantur Coryphæi uestri, & sacramento rogantur, nolunt respondere, sed per fidem quam in deum habent recipiunt se nunquam redituros, ac mox ubi redierint, pater (inquiunt) per suam uoluntatem me reduxit. Sed pater mēdacij est qui eos reduces facit, ipsi coelestem se intelligere simulant. Quum ergo dicitis:

Christianus



Christianus sum, assero simpliciter quod res est, sed iurare nequeo postquam Christus iusserit uerba mea debere esse est, non non. An non iusiurandum modo praestitisti quisquis sic loqueris? an non animo tuo testem deum tacite, imò perspicue aduocasti? Sola solennia iurandi uerba horres, quæ publica pax, ordo iudicij à deo institutus, summaq; Christianismi, hoc est, ipsa charitatis ratio tanquam necessaria efflagitat, donec mali cum bonis in hoc saeculo uiuimus. Nam circumstantiae in publicum receptae adfirmatorum admonent, ne quid temere in conspectu dei asseret. Quibus adhibitis iudex facile cognoscit scientem prudentemq; peierasse, dum illis omisis uideri possit fortassis incogitantior, & per inscitiam iurasse. SIMON. Mora menditatum satis indicat. IOIADA. Igitur tu externa uerba uereris, & non deum, quem uideri uis tanquam uerbis tuis occultum testem uereri, dum huius intuitu ac nomine simplex tuum est adfirmas. Haec ergo disputatio o Simon, de uerbis linguae est, hoc est, elementis mundi, à quibus superstitiosulus temere ac scelerate (si inscitia non est) abhorres, aduersus ordinem operum dei, hoc est, contra gloriam diuini nominis, contra rationem gubernandi omnia, & contra proximi commodum, quæ promoueres, uerbis consuetis praeterferendo, quod nouo loquendi more in animo esse declaras, & omnino esse audientibus persuasisti.

mum postulas. Quis enim catabaptistarum æqui boni-  
 niq; consulit, suo etiam & non fidem derogari? Sæuus  
 hic error ò Simon, qui detegendus est uel hoc studio-  
 sius, quod specie pietatis, pietatis fundamentum, poli-  
 ticanq; uitam funditus euertit. Quod enim ius gladij  
 reliquum fit sublato iureiurando? quod catabaptistæ  
 nõ alia causa conatur ex humanis rebus tollere quam  
 seditionis ac tumultus. Libertatem enim carnis, quam  
 neq; Christus neq; apostoli unquam prædicarunt, ru-  
 dibus pollicentes, his artibus rebaptisandi, separandi,  
 & iusiurandum negandi utuntur: non consyderantes  
 interim, quod Paulus Hebr. 6. iuramentum dicit esse  
 tum confirmationem, tum omnis controuersie finem.  
 Quo uerbo adparet diuinum apostolum nõ loquutum  
 fuisse de ijs qui non sunt intra ecclesiam, quod ij per  
 deum iurent, & quod iuramentum apud eos omnia  
 aut confirmet aut decidat, sed de his qui non sunt ex-  
 tra ecclesiam, apud istos perhibet iuramento firmari  
 et decidi omnia. Et Christus Cæsari iubet reddere quæ  
 Cæsaris sunt, aut quæ ei debentur. Debebant autem  
 & iusiurandum: iubet ergo Christus ipsum quoq; red-  
 di. SIMON. Armas principes huius mundi  
 hac tua defensione ut crudelius sæuiant, quum de abu-  
 su nihil dicis. IOIADA. Moniti debent esse  
 tyranni, qui ut Christi nomine falso gloriantur, sic om-  
 nia ad conculcationem euangelij eius faciunt, ne ex  
 uerbis

uerbis meis putent sibi crudelitatis suæ munimentum petendi datam occasionem, propterea quod hactenus nihil dictum sit de atrocitate abusus iuramenti. Neque res damnanda erit propter abusum, sed potius ab abusu uindicanda. De abusu autem & quomodo iusiurandum ab eo asseratur, quoniam alia iam dicenda sunt, locus dicendi non est. Expediam breuiter summam nostræ sententiæ. Iusiurandū exigi non debet, quàm tum quum aut omnis humana obtestatio cessat, aut proximi salus grauius periclitatur: atque super hæc omnia, quum in nulla re quæ iuraturi sumus nomen dei blasphematur. Hactenus igitur puto non pessime confutatas esse catabaptistarum nugas. Nunc ad alia pergemus.

CONTRA EOS QUI IUSIURANDUM  
fœdera & societates per calum  
niam maledictis incessunt.

SIMON.

Statim iam intelligo iusiurandum bona conscientia & exigi & præstari posse. IOIADA. VI. TRACT.

Et eos rebelles esse, contemptoresque dei et magistratus, qui dum sacramento rogantur iurare negant, quin & perduelliones et tumultuum authores.

SIMON. Sic arbitror, modo legitimū sit iusiurandū & quod pios deceat. IOIADA. Quid

ni? aliter plus obedire oportet deo quam hominibus.  
 Et profecto culpandi sunt magistratus qui ob res friuo-  
 las & leues populum sacramento rogant, taceo iam  
 quod iuratum nec ipsi nec plebes præstant. Prouocant  
 hæc iram dei in nos, qui nomen eius diuinissimum sic  
 contemnimus et blasphemamus. Magis ergo circum-  
 specti magisq; pijs sint hac in re principes, ne ipsi simul  
 cum plebe ultionem dei aliquando sentiant. Iam uero  
 quam sint pessimi homines, qui populum ab obedi-  
 tia magistratibus præstanda, maxime in iureiurando,  
 abstrahunt, satis superq; probatum superiori conclu-  
 sione puto. In ecclesia enim (ut taceamus eos qui ex-  
 tra sunt) multi mali & hypocritæ etiamnum latent,  
 nec oēs ueri Christiani sunt, qui nomē gerunt Christi.  
 Deinde qui uere Christiani sunt, affectus suos quoq;  
 habent & uitia, per iusiurandum autem in ordinem  
 cuncti homines rediguntur, sine quo nullæ res publice  
 constare possunt. Per iusiurandum fœdera pangun-  
 tur, & pacis conditiones fiunt. Hunc neruum si sol-  
 uas, fluxa & luxata erunt omnia, omnia deniq; per-  
 mixta & confusa. Iam ubi soluta sunt omnia, et absq;  
 freno uiuunt homines, quid expectandum nisi maxi-  
 ma & grauisima scelera, quæ dicere horret animus?

SIMON. Quid hic noui audio? fœdera & so-  
 cietates sub iusiurandum suggeris. Ego puto omnes  
 Christianos ita esse charitate Christi conglutinatos,  
 ut fœde-

ut fœderibus nullis sit opus. Ad hæc, sæculo nostro non  
semel uidimus fœdera grauissimorum malorum &  
bellorum fomitem subministrasse. IOIADA.

Fœdera rite inita non pugnant aduersus charita-  
tem, quin potius charitatis fructus sunt, Christianis er-  
go non illicita. Quum uero hæc inter gentes aut urbes  
fiunt pro patrie salute iureiurando confirmantur &  
obsignantur, quasi inuocato aut obtestato summo bo-  
no nempe deo. Neq; hic defendenda omnia fœdera su-  
scepi, quæ cum deo, cum charitate et iustitia pugnant.  
Nam hæc ut illicita sunt, ita nomen dei, dum iuratur,  
blasphemant. Qualia sunt quæ latrones inter se inu-  
t, aut sanguinarij milites, quo multos perdant & inter-  
ficiant. Qualia apud ueteres fuerunt sub Achab &  
Manasse. Qualia nostra sunt tempestate ad internitio-  
nem euangelij à principibus quibusdam & episcopis  
excogitata & firmata. Contra quæ Esaias scribit, ut-  
pote tanquam impia & deo abominabilia. Secus ue-  
ro de his qua fiunt à rebus publicis, ut se à uiolentia,  
iniuria, & tyrannide asserant. Nec inauspicata sunt  
illa, nẽpe quibus deus fauet. Præteritis uero gentilium  
gestis, ex sacris uoluminib. testimonia adferemus. De  
fœdere q. inijt Ioiada sacerdos summus apud Iudæos  
cum optimatibus terræ contra Athaliam impijssimam  
fœminam. 11. caput quarti Regum satis indicat.

De fœdere inter Dauidem & Ionatham filium Sau-

De fœderi-  
bus.

lis habetur 1. Regum 18. Aliud iam genus foederis,  
 quo rex Iosias foedus dei cum populo reficit, in-  
 staurat & iureiurando confirmat (de quo forte hic  
 non locus est dicendi) habetur 2. Paralip. 34. Repeta-  
 mus uetustissima, & quae nostro proposito magis con-  
 ueniunt. Abraham pater noster cum rege Abimelech  
 & Phicol praefecto praetorio foedus pangit. Ad quem  
 rex sic ait Gen. 21. Deus tecum est in uniuersis quae  
 agis. Iura erga per deum, ne noceas mihi & posteris  
 meis, stirpiq; meae, sed iuxta beneficentiam quam feci  
 tibi, facies & mihi, & terrae in qua uersatus es. Dia-  
 xitq; Abraham: Ego iurabo. Tulit itaq; Abraham oues  
 & boues, & dedit Abimelech, percusseruntq; ambo  
 foedus. Vides hic (ut opinor) licere pijs ut foedere se  
 alijs obstringant & quibus. Abimelech obstringit ui-  
 rum dei, ethnicus fidelem, ne dolo quicquam cum eo  
 & suis agat. Facile adducitur sanctus Abraham ut iu-  
 ret, quia nihil petit quam quod aequum & iustum est.  
 Et ipse rursus à rege exigit, ut possessio fontium ei sit  
 integra. Possunt ergo imiri foedera cum pijs, cum ho-  
 nestis & integris hominibus, quorum uita deo sit pro-  
 bata. Equidem hoc uniuerso regno & populo saluta-  
 re & utile fuerit, si cum pijs foedera pangantur. Vi-  
 debat rex amplissimas in Abrahamo uirtutes, uita in-  
 tegratam eximiam. Deinde successum & fortunam  
 quibus eum dominus deus fortunauerat. Sapiens pro-  
 fecto

fecto rex, qui bonorum uirorum commercio sibi, & filijs, uniuersoq; regno suo prospicit. Iam foedus hoc iureiurando quoq; firmatur inuocato dei nomine, ne cui fallere impune liceat. Quid, quod Paulus Rom. 1. & 2. Timoth. 3. inter flagitiosissimos homines ἀσκόv δουε recenset, eos scilicet qui foederum & pactorum haudquaquam sunt tenaces? SIMON. Quid si foedera iniqua, & iuramenta contra ueritatem pugnent? IOIADA. Mirum est quod tam es obliuiosus, quoties iam dixi, nobis haec supra modum improbari. Si uero talia quaedam sunt emendari aut relinqui debet, dicit enim David: Discede à malo et fac bonum. Dixi supra ab usum substantiam rei non tollere, tollatur potius abusus, & sanctum erit foedus. SIMON.

Quid si iniqua foedera iuramento sunt firmata?

IOIADA. Rescindenda sunt, & de peieratione dolendum. Peccat enim qui falso iurat aut rem iniquam promittit. Non pudeat nos mutare quod malum esse cognouerimus. Nec in hoc est inuentum iusiurandum ut falsum & iniquum confirmetur, sed ut gloria dei, salus reipub. iustitia, pietas et ueritas prouehatur. Si quis iurauit se facturum aliquid quod impium est, & in quo deus offenditur, ne pergat id facere, sed potius mutet sententiam, & de periurio doleat. Melius est unum quam duo flagitia committere. Hoc si Herodes Marci fecisset, minus peccasset, iam impio iuramen-

to addit & homicidium sanctissimi hominis, quo se  
 maiori piaculo commaculat. SIMON. Possunt  
 ne Christiani cum infidelibus inire foedera? & si ini-  
 ta sunt an ad ea adstringantur ut seruent? IOIA-  
 DA. Moses Gabaonitis summa fide seruat quod iu-  
 ramento confirmauerat, etiam tum quum dolum sen-  
 sisset, Iosue 9. De impari connubio Paulus 1. Cor. 7.  
 sic scribit: Si quis frater uxorem habet infidelem, &  
 hæc assentitur ut habitet cum illo, ne dimittat eam. Et  
 mulier quæ habet maritum infidelem, & is assentitur  
 ut habitet cum illa, ne dimittat illum. Sanctificatus est  
 &c. Mox sequitur: Quod si incredulus discedit, disce-  
 dat. Non est seruituti subiectus frater aut soror in hu-  
 iusmodi, sed in pace uocauit nos deus &c. Eadem ra-  
 tio hic uidetur obseruanda in foederibus quæ olim con-  
 tracta sunt cum his qui fidei nostræ non sunt, modo  
 (quod semper excipimus) pia & æqua ac iusta sint  
 foedera, nam quæ impia, prorsus rescindenda sunt &  
 deserenda. In nouis foederibus pangendis ratio habenda  
 est, & discrimen. Abraham foedus iniit cum Aner,  
 Escol, & Abimelech gentilibus hominib. Dauid quoq;  
 amicitia et societate iunctus fuit regi Moabitarum, 1.  
 Reg. 22. Item cum rege Achis in Geth, 1. Reg. 27.  
 Deinde cum Hiram rege Tyri, quemadmodum & po-  
 stea Salomon filius eius, 3. Reg. 5. Cum Thoi rege He-  
 math, Iudas Machabæus Romanorum socius factus  
 est.



est. Sed hic iudicium exactum adhibendum est. Exodi  
23. & Deut. 7. dominus præcipit ne foedus ineat Israël  
cū gentib. imò eas excindant, et omnino ab eis abstine  
ant. Quod præceptum licet partim sit ceremoniale,  
habet tamen quiddam quod docet, nec debet à nobis  
quasi alienum contemni. Docet hoc deus, ut à flagitio  
sorum & impiorum cōmercio omnino abstineamus,  
ne à fide uera, à iustitia et uitæ innocentia auocemur.  
Qui enim amat periculū, merito in illo perit: nec po  
test non inquinari qui picem tangit. Nec legitur malo  
rum consuetudinem bonis unquam profuisse. Non igi  
tur facile nos induci patiamur, ut cum ethñicis & infi  
delibus foedera ineamus, nisi magna necessitas & pax  
publica hoc urgeat. Deinde cum his qui tamē speciem  
aliquam uirtutis & iustitiæ præ se ferunt. Cauendum  
deniq; ne quid in foedere contineatur quod uel tantil  
lum cum pietate & uirtute pugnet, in rebus dunta  
xat externis & quæ ad publicam tranquillitatem per  
tinent. Nam si quis impiorum socius ita esse uelit, ut  
impietati eorū uel consentiret uel opem ferret (quem  
admodum per Micheam Iosaphat docetur) maiori for  
tasse pœna puniendus foret, 2. Paralip. 19. Hæc si spe  
ctantur, ut foedera fiant iusta & legitima quæ cum re  
ligione non pugnant, cum hominibus qui fidem ueram  
(tametsi non profiteantur) nō persequuntur, in rebus  
externis & ad publicam pacem pertinentibus, puto

Christianis non illicita esse, quemadmodum Abrahamæ  
 & Dauidi illicitum non fuit. Sed tum tandem, si nullo  
 alio pacto rebus suis consulere possunt. Dominus  
 conseruabit suos, ne quid temere, ne quid impie in his  
 committant aut designent. SIMON. Sed Aſa rex  
 à propheta Hanania increpatur propter foedus ini-  
 tum cum Benadab rege Syrorum. Non enim opus est  
 Christianis hominibus externis auxilijs, qui solo deo  
 5. Reg. 15. nituntur, à quo solo omnia expectare conuenit. IO  
 IADA. Merito increpitus est Aſa, quum factum  
 eius ex diffidentia & incredulitate proficeretur.  
 Abraham uero deo credidit, nihilo minus socios ha-  
 bet, quibus utitur contra quinq; reges. Nec his fidit,  
 sed à solo deo pendet cor eius. Maledictus qui confidit  
 in homine, attamen ob hoc homines non sunt reijci-  
 di, quum dominus sæpe per hos opem ferat suis. SI-  
 MON. De ſodalitatibus uero aut curijs quas uulgo  
 zunſtas uocāt, de publicis epulis, ludis et gaudijs, quæ  
 habent in feſtis, quid dicis? Mihi uidentur hæc parum  
 conuenire Christianis qui mundo omnino mortui eſſe  
 debent. Qui enim mundum diligūt, in his non eſt cha-  
 ritas dei patris. Admonet etiam ſcriptura ut è medio  
 illorum exeamus, 2. Cor. 6. IOIADA. Mor-  
 tuum eſſe mundo Paulo ad Col. 3. non eſt nihil earum  
 rerum uti quæ in mundo ſunt (Quis enim ſine his ui-  
 uere poteſt? niſi mundum exire uelit) ſed animum ha-  
 bere

bere qui totus à deo pendeat, nō à mundo, neq; ab his  
quæ in mundo sunt, qui fixus sit in coelestibus & æ-  
ternis rebus utcunq; corpus rebus corporalibus uti  
cogatur. Mundum diligere Ioanni significat cor im-  
mersum esse & quasi sepultum huius mundi uolupta-  
tibus, & sic delicijs mūdānis inhiare, imò absorptum  
esse, ac si perpetuo sibi hic uiuendū foret. Hæc ex Pau-  
li uerbis manifesta sient, 1. Cor. 7. Cæterum illud di-  
co fratres, tempus contractum est, superest, ut qui ha-  
bent uxores, sint tanquam non habentes: & qui plo-  
rant, tanquam non plorent: & qui gaudent, tanquam  
non gaudeant: & qui emunt, tanquam non posside-  
ant: & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utan-  
tur. Præterit enim habitus huius mundi.

Quod exeundum sit à malis, quo Paulus ex Leuit.  
26. utitur, hoc dicimus. Illud præcipue Israëlitis di-  
ctum esse, ne sordibus gentium contaminentur, de qui-  
bus 4. Reg. 17. Quod si urges literā, nec à filijs Israël  
unquam factum est, ut ex terra gentium hac migra-  
rint, semper inter gētes uersantes, quas dominus non  
omnino eradicare uoluit e terra. Sic ergo egressi sunt  
ab eis, ut sibi ab eorum immunditijs & uitijs, etiamsi  
in medio earum uersarentur, cauerent. Hoc idem no-  
bis hodie faciendum, ut longe egrediamur ab eis ani-  
mo & uita, corpore enim non licet, nisi mundum &  
quidquid uidetur deserere uelimus. Vel dic tu, quomo

do apostoli gentibus prædicassent, si ipsis inter gentes uersari non licuisset? Non docet Paulus secessionem corporalem, sed cautionem & abstentionem animi, qua sit ut in medio spinarum rose efflorescant. Nihil ergo pugnant contra me tue authoritates, sed contra eos qui carni sese dediderunt turpissimos seruos, qui uitam impuram & beluinam uiuunt, quorum corda crapula & ebrietate obruta iacent, similes omnino gentibus, qui deum ante oculos suos non habent, semper hoc Sardanapalicum iactantes: Edamus & bibamus, cras enim moriemur. Quos ego haudquaquam defendo, nec eorum institutum probo. Ego de hisce gaudijs & societatibus loquor, ubi aliquando pij honeste & amice cõueniunt, idq; publice & cum gratiarum actione, ut quum sunt panegyres & festa quædam celebriora, ex certis causis & rationibus instituta. Ibi conueniunt unius gentis homines in timore dei, alter alterum honestis conuiujs excipit: quod fieri potest ad alendam cõcordiam, charitatem & pacem. In istis publicis coetibus minus impudentiæ & audaciæ licet, minusq; designatur flagitiorum, quàm dum in conuenticulis ganeis ac secessionibus abstrusi delitescunt: uel dum nocturnis horis in loca quædam obscuriora, in antra, in syluas sese recipiunt seorsim, ut olim Romæ factitatum legimus, donec bona pars nobilium matronarum pudicitia periclitaretur. In coetu enim publico semper

eo semper sunt quos reueriti turpitudinē horremus. Publici conuentus minus periculosi.  
 Deinde licet bonis & honestis uiris, turpibus cœptis quorundam resistere, & eos ab inhonesto proposito auertere & auocare. Horrendum dictu, quid seorsim flagitiosi si cum similibus congregentur & neminem habeant qui obstet, designare audeant. Hæc fieri non possunt in publicis & solennibus conuentibus, ubi metu bonorum mali deterriti à flagitiosis tum factis, tum dictis uel inuiti abstinere coguntur. Omittuntur interim multa mala, quæ in secessionibus perpetrantur. Honestis gaudijs inhonesta & turpia, ut clauus clauo, repelluntur & retunduntur. Hæc à ueteribus ita sunt usurpata, ut aliquando publicis conuiujs alerent concordiam & amicitiam instaurarent, choros aliquando ducebant cum decore. Nec defuerunt exercitia quædam quibus corpora prompta agiliaq; tum etiam uegeta reddebant, ne ocio torperent ignauo, ut cursu, aut disco cæterisq; huiusmodi rebus, quibus diu uacabāt: alij qui priuatim cōueniunt uino, alea et turpiorib. rebus tenentur. Secessio ergo ista qua uos insignes et sancti esse uultis, aliud nihil est q̄ nouus monachus. Quid dico? Philautia est, pertinacia, demētia, melancholia, contentio, inuidia, & odium acerbissimū. Cōuenticula uestra, oēs hoīes, qui uestris dogmatibus non subscribūt, pro gentilibus, et infidelib. ducūt & Satane tradūt, quasi nemo præter uos seruiat deo.

QVOD HONESTA GAUDIA LI-  
ceant Christianis, contra hypocriticam  
seueritatem catabaptistarum.

SIMON.

VII.  
TRACT.

**D**ij boni quanto labore choros defendis & epu-  
las, quæ tamen nusquam quàm apud uitulum  
Aegyptiacum reperire licet. Vbi sedet diues  
ille euāgelicus qui bysso et pura indutus quotidie sple-  
dide epulatur? Vbi blasphemie, deieratiōes, scortatio-  
nes, adulteria et turpia ac fœda quæq;? An non in con-  
uiujs istis & gaudijs publicis, quæ tu tantopere pro-  
bas? Quorsum hæc ut insanienti alioqui mundo, fre-  
num quoq; omne adimitis, & ansam ad peiora subin-  
de obijcitis? IOIADA. Quod hominibus licita  
& honesta gaudia cum modo et decore permittimus,  
in hoc duntaxat fit, ne cohibiti nimium, rupto & ab-  
iecto freno petulantius deinde insolescant. Arcus enim  
tensus nimium, luxatur & frangitur facilius. Porro di-  
ues ille ubi sedeat, Lucas ostendit, nempe apud inferos  
in regia Plutonis: causam facile est reperire, quod deū  
neq; metuit, neq; dilexit, quod crudelis fuit, & uiscera  
miserationis clausit, q̄ Lazaro pauperi et egeno nihil  
impartijt, q̄ donis dei abusus, uentrē loco dei coluit.  
Hæc inq̄ demergūt diuitē, et demergēt usq; quicumq;  
hoc exēplū imitati fuerint. Israëlitæ, deserto deo tanto  
benefactore,

benefactore, qui uerum est cordis gaudium, quo solo gaudere & gloriari debuerunt, idolum tauri pro deo colunt, & insanis gaudijs ac choris frena laxant. Ex ebrietate ingentia & innumera uitia ac scelera nascuntur. Hæc omnia uera esse nemo sanus unquam negabit. Sed quid hæc contra nos pugnant, qui idem fatemur quoq;? Quod uero de gaudijs diximus, cum discrimine diximus, & omnem turpitudinem procul abegimus: quod si gaudere Christianis non licet cur Paulus dixit, Gaudete cum gaudentibus? Est ergo gaudium quoddam honestum, est gaudium turpe & indecorum. Cur omnia confunditis? An ergo Christianus homo sine insolentia & scelere gaudere non potest? Memineris semper uelim eius quod supra iam sæpe dixi, quodq; uerissimum est, abusum non debere fraudi esse ei rei quæ per se licita bona & honesta est, aut certe esse potest. Quando ergo Satan honestis et bonis rebus mala quædam ingerit, tollantur mala, nec dānetur quod bonū est propter abusum. Deinde si quis impia quædam & flagitiosa designat, animaduertant in eum magistratus, ut fit ubi uerbum dei prædicatur cum fructu. Non ergo tolli possunt Christianis hominibus gaudia honesta, quod quidam illis iungunt blasphemias, turpiloquia, scortationes. Sed uideamus quid scripturæ de hac re tradant. Christus ipse (cuius uita nobis exemplar est) non legitur inani

eam austeram & ab omni humanitate alienam uitam aut duxisse aut docuisse. Non enim fuit misantropos. Inuitatus adest in conuiujs, in nuptijs: comis & humanus ubiq; præsertim erga peccatores, ut pharisæi uoracem eum & peccatorum socium dicerent. Apostolus Paulus sæpe ad gaudia inhortatur. Gaudium enim donum dei est haud uulgare: tristitia contra & moror pœna sunt à deo. Sed audiamus quid dicat propheta Esaias, minitans populo propter uitæ intemperantiam et scelera quibus scatebāt: Cessabit gaudium tympanorum, quiescet sonitus lætantium, conticescet dulcedo cytharæ, cum cantico non bibent uinum, amara erit potio bibentibus illam. Deserta est omnis lætitia, trāslatum est gaudiū terræ. Hæc ita facta esse Hieremiæ querulationes manifeste ostendunt. Defecit gaudium cordis nostri: uersus est in luctum chorus noster. Cecidit corona capitis nostri, uæ nobis, quia peccauimus. Quis iam non colligit gaudium, musicas cantiones, choros, coronas, epulas, et huiusmodi singularem quendam benedictionem dei esse eorum qui cultores sunt dei? Cur uos catabaptistæ benedictionem domini in maledictionem uertitis? Scimus & fatemur, si quis istis rebus (ut gentes solent) impie abutitur, turpe esse & sceleratum. Si uero cum gratiarum actione, cum honestate, cum timore dei utitur, à deo esse.

Clarius adhuc Hieremias cap. 31. Charitate perpetua dilexi

Esai. 24.



tua dilexi te, ideo attraxi te miserans, rursumq; edificabo te, et edificaberis uirgo Israël. Adhuc ornaberis tympanis tuis, & egredieris in choro ludentium. Adhuc plantabis uineas in montibus Samariæ. Plantabunt plantantes, & donec tempus ueniat, non uindemiabunt quia erit dies in qua clamabunt custodes in monte Samariæ, & in monte Ephraim: Surgite & ascendamus in Zion, ad dominum deum nostrum, & c. Qui disperfit Israël, congregabit eum, & custodiet eum, sicut pastor gregem suum. Redimet enim dominus Iacob, et liberabit eum de manu potentioris. Et uenient & laudabunt in monte Zion: & confluent ad bona domini super frumento, uino, oleo, & foetu pecorum, & armentorum, eritq; anima eorum quasi hortus irriguus, et ultra non esurient. Tunc letabitur uirgo in choro, iuuenes & senes simul. Et conuertam luctum eorum in gaudium, & consolabor eos, & latificabo à dolore suo & c. Gaudia si displicerent domino, non dixisset: Perpetua charitate dilexi te. Nec dissimulasset nec permisisset illa Hieremias uir sanctus & grauis abq; utero matris sanctificatus, si tam abominabilia essent deo quemadmodum uos dicitis. An ergo uos deo sapientiores? aut Hieremia seueriores? Quid si tetrica illa seueritas quam in secessionibus uestris simulatis Sathane gratior esset, quam nostra gaudia & hilaritates? Instituitis enim novos monachatus & hypocriticam

quandam uitam, aut potius pharisaicam. Phariseos autem  
 et hypocritas grauissime semper insectatus est  
 Christus, nemo enim magis contemnit gratiam et mi-  
 sericordiam dei. Plantate potius uirtutes, et timorem  
 dei, docete ne quid nimis, luxum intemperantiam et  
 huiusmodi scelera pellite, hoc pacto populum corda-  
 tum et grauem domino parabitur et adducetis. Sed  
 uos iam ad dexteram, iam ad sinistram nimis declina-  
 tis. Qui ex conuiujs publicis ad amicitiam institutis lu-  
 xum faciunt et delicias turpes, crapulae indulgentes  
 et ebrietati: qui in gaudijs modum excedunt et me-  
 tas honestatis transiliunt: qui ex choris decentibus sal-  
 tationem insanam et impudentem faciunt: breuiter  
 qui rebus omnibus bonis abutuntur, putantes sibi lice-  
 re quidquid libeat, ad sinistram turpiter deflectunt,  
 irrisores ueritatis, malitiosi homines, lurcones, ebrij,  
 et uitiorum omnium serui turpissimi. Qui uero huma-  
 na omnia a medio tollunt, inducentes uitam nescio  
 quam tetricam et insuauem, hypocritica quadam san-  
 ctitate inflati, hi ad dextram aberrant. Quod si omni-  
 no statutum est ut sis heremita, caue tibi intus placeas,  
 non sis arrogans, non hypocrita: ne ad graues aliorum uitia,  
 noli peccatum facere quod peccatum non est, noli iudicare  
 ceteros, praesertim propter eas res quae deo non tam di-  
 splicent quam tibi. Iuuentuti aliquid dandum est, ut et senium  
 suam habet auctoritatem et grauitatem. Diuersa sunt  
 officia

officia, diuersæ conditiones hominum, suum cuiq; decorum. Nec finit *charitas*, ut designemus quidpiam præter decorum & ordinem, 1. Cor. 13. Multa à ueterebus ad nos usq; fluunt, quæ si recte fiant, culpanda omnino non erunt. Gaudia & festiuitates apud fideles ueteris & noui testamenti non adeo fuerunt frequentia, (habent enim omnia suum tempus) honestis laboribus erant occupati. Quum uero publica quædam gaudia & conuentiones habebant, magnæ omnino et grauissimæ ac honestissimæ suberant causæ, nempe, quum crearentur magistratus, quum dominus populum suum liberasset, & insignem aliquam uictoriam dedisset: in triumphis publicis, in pangendis sœderibus, in excipiendis hospitibus & amicis, in festiuitatibus magnis. SIMON. Explica mihi hæc singula exemplis scripturæ. IOIADA. De primo habenus exēpla in libris Regum, ut quū Saul ungeretur in regem 1. Reg. 9, 10. Post hunc Dauid, ut est 2. Regum 2. 3, 5. Item de reductione arcæ & choro ac ludo Dauidis ante arcam, 2. Regum 6. Salomon mule impositus unctus est rex super Israëlem, & ascendit uniuersa multitudo post eum, & populus canentium tibijs, & letantium gaudio magno, & insonuit terra à clamore eorum. Item quum inauguraretur rex Ioas quarto Reg. 11.

De uictorijs insignibus & salute præstita à domi-

no Exodi 15. Iudicum 5. & 11. 1. Reg. 18. Vbi & car-  
minibus uictoriae celebrantur.

De Triumphis, illis eisdem locis habetur, & 2.  
Paralip. 20.

De 4. exemplum est Gen. 43. & Lucae 15. de fia-  
lio prodigo quem conuiuio pater excepit latissimo.  
Item Esther 8. de Mardocheo.

Quid dicam de nuptijs, de natalitijs diebus, de ab-  
lactationib. de festis dedicationū, de tonsuris ouium,  
de quibus omnibus passim reperire est exempla. Nus-  
ptiae semper latissimae fuerunt apud Iudeos, ut patet  
de Isaac & Iacob & ceteris patriarchis. Et Christus  
ipse nuptialibus conuiujs adsuit, quae non solum praes-  
sentia sua honestauit, sed & donis suis ditauit & ex-  
hilarauit, Ioannis 2. Lege in historijs regum & Pa-  
ralip. de Iosia, Ezechia, item de Nehemia, item Iudi-  
cū 11. De dedicatione templi Salomonici est 3. Reg. 8.

Destituet me tempus si omnia percensere uoluerō.  
Quod ergo sanctis in populo dei licuit, cur nobis idē  
non liceat, qui sumus in populum dei loco eorum re-  
cepti? Nec leguntur haec unquam uetita aut taxata  
esse à prophetis, qui seuerissimi interim in scelera sue-  
runt censores.

Quapropter mi Simon, ut finem huic conclusioni  
tandem ponamus, quae uos de separatione protulistis  
adhunc sensum dicta non sunt, quo uos detorquetis:

nam

nam alioqui non solum è mundo, sed ex ecclesia, imò à nobisipsis exire cogeremur. Nihil enim in rebus humanis tam sanctum & inculpātū est, quod nulla parte deficiat. Separari debemus primum ipsi à nobisipsis de quo Christus loquitur, Qui odit (inquiēs) animam suam in hoc mundo in uitam æternam custodit eam. Item, Qui uolet post me uenire abneget sese &c. Hæc sunt quum quotidie ordimur emendationis studium, ac pro uirili fratres & exemplo & oratione ad idem hortamur. Neq; sic querimus separari ab his qui nobiscū infirma habēt omnia. Res quoq; ipsa monebit, si modo uere pij atq; cultores dei sumus, quousq; quidq; sit ferendum: imò pietatem solam ac charitatē in hoc casu abolendi aut recedēdi sic audire debemus, ut lex alia poni nec possit nec debeat. Separamur deinde ab his qui iam non infirmi sunt, sed maligni, quod ipsum quoq; siue charitas, siue pietas docebit. Nam Christus ipse contumacem ac impudentē scelerosum tunc tandem uitari iubet, quum eò peruicaciæ peruenerit, ut ecclesiam quoq; non reuereatur. Ecclesia uero neminem excludit, quin hunc simul uisceribus charitatis includat. Cæterum nolumus his nostris cuiquam ansam dare licentius uiuēdi, aut pro libidine sua insaniendi. De honestis & licitis gaudijs loquimur quæ Christianum hominem decēt. Si quis in hisce modum excedit, luat poenam commeritam, & expectet iudicium do-

III V  
TOART

mini, ubi gaudium suum in mœrorem uertetur. Hic in  
 uigilandum magistratibus Christianis, ne quid ferant  
 quod honestatem & pietatem ledat & offēdat. Hæc  
 hæctenus. Aliam iam conclusionē adgrediamur. Quid  
 in causa est dic sodes, quod tēpla horretis tantopere  
 in quæ uos non ingredimini, nec alios ingredi finitis,  
 idolorum donus ea nominantes?

DE TEMPLIS ET CONVENTIBVS  
 ecclesiasticis, contra secessiones cata-  
 baptistarum.

S I M O N.

VIII.  
 TRACT.

**Q**uod Paulus dicit nos esse templum dei, cui  
 cum simulacris nihil cōuenire debet, 2. Cor.  
 6. IOIADA. Nos esse templum dei  
 sanctum in quo spiritus Christi habitat Paulus 1. Cor.  
 3. testatur. Qui enim Christo uere fedit, unus spiritus  
 est cum deo, nec idola curat. Quid uero hoc ad eccle-  
 siasticas profectioes & conuentus pertinet? quum  
 templa nostra per dei gratiam expurgata sint, & ex  
 eis omnia idola & superstiosa eiecta. Quod si que-  
 dam ex superstitionibus papisticis aut gentilibus etiam  
 num hærerēt, quid hæc fidei uestræ (modo uera esset)  
 officere possent? An non Paulus templum idolorum  
 Athenis introiuit? Acto. 17. Apostoli quotidie in tem-  
 plum

plum ibant Hierosolymis in quo adhuc legalia sacrificia durabant, quæ ex diametro cum Christi morte pugnant. Adhuc tamen in templo docebant & prædicabant euangelium Iesu Christi, & assidui erant in templo. Paulus in templo captus est. Vnde ergo hoc uobis, quod nullus uere Christianus ad templa nostra proficisci debeat, quum nihil sit in eis quod cum uerbo dei pugnet? Prædicamus in eis euangelium pure & sincere, impermixtū humanis traditionibus. SIMON.

Alligatis fideles ad locum, quasi uero non ubique prædicare et orare quis posset. Christus sæpe in montibus orauit, et Paulus uult ut uiri in omni loco orent. Deinde ipse Christus dicit tempus adesse, ubi neq; Hierosolymis neq; in monte oretur, Ioannis 4. IOIADA. Nos neq; orationes neq; prædicationem locis alligamus, sed uos hoc facitis, quum persuasum habetis, Christianis non licere ut in templo orent ac prædicent. Nam si possumus in templo per deum prædicare & orare, cur uos secessionem facitis, & templa adire non uultis? Si non possumus, quomodo ergo libertas in illis est? Quid ad hæc respondere potes? Si quis cogeret ad superstitionem uel iudaicam uel gentilem contra uirtutē crucis Christi, aut ad cultum idolorū, &c. huic parendū omnino non esset. Daniel cum socijs suis statuam regis non adorat, utcumq; omnes alij mandato regis parcant.

Que uero Christus Ioannis 4. & Paulus 1. Tim. 2. docent, non pugnant contra nos, sed contra superstitionem Iudeorum, quibus persuasum erat, orationem nullam deo gratam esse quam quæ fieret in templo Hierosolymitano. Libertatem ergo docent Christus et Paulus. Circa libertatem uero Christianam duo obseruabis. Primum, quandocumq; opus est & gloria dei uel circumstantiæ hoc exigunt, Christiana libertas se exerit. Alterum, Christiana libertas nihil committit contra piam & bonam consuetudinem, nihil contra ordinem qui cum uerbo dei non pugnat. Pacem & tranquillitatem amat Christi spiritus, qui uere liberos reddit. Exemplo sit nobis Iesus Christus. Quñ ad eum populus in deserto confluit, in deserto prædicat, sic enim circumstantiæ postulant. Quñ rursus apud lacum aut mare, in montibus, in domo ipsum adit, illic prædicat, auiditati eorum satisfaciens, nec defraudans uotum populi. Neq; enim commodum erat aliò eos ducere, neq; uerbũ negare, quod tanto ardore quærebant. Quandoquidem uero mos erat, ut sæpius & frequentius in synagogis et templo conuentus fierent, non neglexit dominus uel hanc occasionem. Non ergo horret templum, non synagogas pharisaicas, quin pro defensione sua in domo pōtificis dicit se quotidie in templo docuisse palàm, in eo scilicet loco ubi omnes conueniunt, in angulis planè nihil, Ioannis 19. His ergo  
 qui



qui rite electi, à deo uocati & missi sunt, in omni loco (si ita res postulat) licet prædicare ueritatem, modo is locus in quo docet suspicioni non sit obnoxius. Bis ergo uos hac in re errare, facile ostendemus. Primum, quod neq; prædicationem euangelij neq; locum finitis esse libera, alligatis enim libertatē. Nam si non alligatis, cur templum horretis, & prædicatis non uocati nec missi in horreis, post sepes, in syluis & lucis? Deinde facitis hoc sine necessitate. Quid enim necesse est, ut prædicationem Euangelij ex urbibus & uicis in syluas transferatis, ex templis in horrea, ex publico in priuata loca? An non in templis prædicamus Iesum Christum, unicum & uerum deum, ut in hunc fidamus, ut innoceter coram illo uiuamus, ut proximos diligamus? Cur ergo statutas certis diebus ad ecclesias profectioes damnatis? Sed uos mauultis istas, ubi aut multi in syluam aliquam conueniunt nocte potius quàm die, ut quum deinde per densas tenebras puellis & matronis paulò formosioribus est domū palpitanum spiritualia connubia in carne consumant: aut ubi duo uel tres in hominis paulò habitioris ædes conueniunt, edunt, garrunt, captiuas mulierculas abducunt, ac deinde reliqua quæ tu uix cogitare audes faciunt. Hac uenatione multo maiorem prædam inueniunt quàm si in ecclesiarū contionibus audirent ipsorum auditores, quæ sunt contra eorum doctrinam.

Quis enim stultas tum puellas tum foeminas, & uiros  
 agricolas ac simplices ab huiusmodi lupis tuebitur?  
 quum nunquā grassentur adperite, neq; apostolorum  
 more primum ad synagogas ueniant, & doctrinae suae  
 fontes ex scriptura adperiant, sed ubi per menses ali-  
 quot apud male feriatum aliquem delituerunt, & fa-  
 miliam uniuersam non tantum errore, sed scortatione  
 quoq; contaminarunt, iam tandem aliqua parte adpa-  
 rent, quumq; ad doctrinae suae rationem postulantur,  
 ipsi auolant, atq; implumes pullos miluo relinquunt.  
 Ideo abhorrent à Christi tum uerbo tum instituto, qui  
 & dixit: In occulto loquutus sum nihil, & praecepit,  
 ut quae in aurem audirent, praedicaret super tecta. Hic  
 mihi uerpos uide. Nacti ergo ex uillis aliquot homi-  
 num, in tecta quoq; ascendunt, & cornicantur se nunc  
 implere quod Christus dixit: Praedicate de tectis & c.  
 Cumq; uiator aut licitor de longinquo perspicitur, de-  
 missa cauda faciunt, quod de uulpecula apologi nar-  
 rant. Est quiddam, omnino quiddam est quod praedica-  
 tis cuius uos in luce pudet dicere, de non parendo ma-  
 gistratui, de iureiurando non praestando, de rerum com-  
 munionc, de ministrorum alimento, de redditibus, de de-  
 cimis, deq; libertate quadam carnali, quibus omnibus  
 nihil aliud quam rerum omnium confusionem queri-  
 tis, quid enim haec pariunt quam seditiones & tumul-  
 tus? Huiusmodi ergo quum agitis templa uobis non  
 conueniunt,

conueniunt, sed peetralia & sylua, ne quis sit qui ue-  
stros errores refellat, quibus simplicibus & idiotis fa-  
cile imponitis. Porro quod auditoribus uestris templa  
adire prohibetis, in hoc nimirum fit, ut plures in erro-  
re uestro diutiusq; detineatis. Qui enim à uobis sedu-  
cuntur, quum nos nō audiunt, de ueritate doceri non  
possunt, quo fit ut indies pertinaciores fiant. Paulus  
uero omnia probare iubet, & quod bonum est reti-  
nere. Haftenus de dolo uestro malo. Iam ostendam qua  
dignitate templa à nobis habeantur. Quod ad structu-  
ram et materiam attinet, nihil sanctiora sunt alijs edi-  
bus: quod uero ad usum pertinet multo sanctissima,  
nempe domus dei. Non quod parietibus circumscriba-  
tur deus, aut quod in templis manufactis habitet Act.  
17.7. sed quod in his diuina quaedam aguntur. Quum  
enim à prophano usu secreta sunt, commodius in his  
orare possumus à multitudine & negociorū tumultu  
semoti. In his diuina uoluntas & gratia dei per Chri-  
stum praedicatur et auditur, alter alterū ad deuotionē  
& orationem incendit, & multorum uota quasi uno  
ore ad deum ascendunt. In enarratione scripturarum  
fiunt admonitiones, exhortationes, increpationes, &  
consolationes. Haec à nobis conficta non sunt aut teme-  
re instituta, sed ex uerbo dei desumpta. Dicit enim: Do-  
mus mea domus orationis uocabitur. Hoc enim uer-  
bo Christus utitur quum iam eijceret è templo emena-

tes & uedentes, & ipse quotidie in templo docebat. Deinde ad orationis horam Petrus & Ioannes templum petebāt, unde patet & apostolos in templo non solum prædicasse sed etiam orasse.

Secundo, templa in hoc sunt instituta, ut illic commodius sacramenta administremus. Baptismo initiatur qui populi dei sunt, et ad ecclesiam pertinent. Alter alteri sese manifestat & testatur se eum esse qui credat se morte Christi redemptum, pro qua gratias agit edendo panem & bibendo uinum, quæ dominus in sui memoriam instituit. Indicant se credere sanguine Christi purgatos, & in unū corpus coactos. Tercio, hoc in loco offerimus sacrificia nostra domino, nempe gratiarum actiones, ardentes preces, obedientiam promptissimam, humilitatem, eleemosynas, innocentiam, & tolerantiam, Rom. 12. Hebr. 13. Psal. 49. Hæc enim multo ardentius fiunt in congregatione & coetu ubi uniuersus populus coit studio quodā & honestate. Non enim lucem horremus, idcirco in timore dei honeste in templis conuenimus. SIMON.

Scilicet, præsertim tanto fastu & luxu uestiū. Ad hæc eucharistiæ sacræ abusu. IOIADA. Nobis qui euangelium prædicamus, & qui euangelio ex corde credimus, nunquam hic fastus uestimentorum, à maioribus nostris ad nos usq; deductus, placuit. Cōuenit enim ut in templo magna cum humilitate & honestate

nestate adpareamus coram tremenda maiestate dei nostri, ornati scilicet uirtutibus & pietate, & hoc ornatu de quo Paulus 1. Timoth. 2. 1. Cor. 11. 1. Pet. 3. Ad hæc subinde magno seruore exhortamur fideles quos docemus. Et nonnihil proficimus alicubi. Hic uero uobis non omnino assentimur, qui omnem cultum Christianis hominibus negatis. Nam ut uaria sunt tempora ita uarium cultum pijs admittimus. Nam & olim castissimæ & honestissimæ matronæ, ut humilitate, pudicitia & uirtutibus semper, ita nonnunquam (dum res poscebat) corporali cultu ornatae erant. Quemadmodum de Rebecca, Esther, et Iudith scripturæ testantur. Quid uero in Eucharistia nostra desyderes clarius explica. SIMON. Ad hanc coenam admittitis peccatores, quos excludere ex hoc sacro conueniebat. Nos non nisi puris & innocentibus hanc coenam damus. IOIADA. Si panis Eucharistiæ nihil ad peccatores pertinet, dic ergo quibus à Christo sit institutus? Angelis fortasse? Sic fingitis uobis puritatem, quam dum uobis ipsis tribuitis in Nouati hæresim inciditis. Nos ex uerbis scripturæ peccatum bifariam accipi dicimus. Primum, pro perfidia, hanc qui habet, is non digne existimat hunc panem. Nec opus est ut talis excludatur è coena, nam ut nihili curat eam, ita nequaquam accedit. Hypocritas minister arcere non potest, quum solus deus corda perspiciat, et uideat quo quisque

uero mercenarij et serui arcebantur, ceremonia erat,  
 quæ reconditorē sensum nobis præfert. Apud nos per  
 sonarum acceptio nulla est. Sic de in fermentatis pani  
 bus mysticum sensum eruit Paulus 1. Cor. 5. Docet er  
 go ut se quisq; probet antequā accedat ad hunc sacra  
 tissimum cibum, ne suo uitio uertatur ei in mortem.  
 Quod ergo potissimum in hac cœna à conuiuantibus  
 exigimus, fides est, & gratiarum actio, deinde propo  
 situm uitæ puræ & sinceræ. Postremo ut uelint esse  
 unum corpus per charitatem. Vos ex symbolis unita  
 tis, dissidiū in corpore Christi facitis. Eucharistia non  
 in hoc instituta est, ut separatio fiat, sed excommuni  
 catio. Per excommunicationem uero remedium illud  
 intelligimus, quo sceleribus grauioribus & impuden  
 tioribus medemur, per eos quibus hoc officij deman  
 datur. Iam si emendatus rursum cadit, audit uero pro  
 clamari uerbum Pauli (probet seipsum homo & c.) et  
 accedit cœnam sumpturus, quis hunc prohibere pote  
 rit? Quis enim cor eius intueri potest quanta deuotio  
 ne, gratitudine, & fide erga Christum sit præditus?  
 Neq; hic iuxta Papæ et decretorum canones pœniten  
 tias definimus, ut tanta interualla temporum pecca  
 toribus aut criminibus præscribamus, quod nec Chri  
 stum fecisse unquam legimus, cuius gratia obuia fuit  
 quibuslibet, ut patet in Matthæo, Zacheo, Magdale  
 na. Mox recepti sunt in amicitiam: mox admissi in eccl̃a

accedat animo. Nos iuxta externa tantum iudicamus, nec plus huiusmodi à cœna prohibere possumus quàm à baptismo Simonem Philippus. Sacramentorum enim ratio par est. Secundo accipitur peccatum pro morbo ex infecta radice in nos traducto, ex quo uaria scelerata ueluti fructus quidam pessimi suppullulât, qualia sunt, ira, inuidia, odiû, intemperantia, arrogantia, auaritia, libido &c. Iam si hunc peccatorem dicis, qui hæc designat, nec tamen in his contumaciter iacet, sed mox post casum resipiscit, nemo huius cœnæ capax fuerit. Omnes enim peccamus, & hunc peccati morbum sentimus, Rom. 3. Gal. 3.

Ex quo adparet error uester, qui usum cœnæ ignoratis, quamobrem, ut olim pontifex, ex leto conuiuio tyrannidem quandam & carnificinam conscientiarum facitis. Quicumq; ergo carnis affectus cum dolore agnoscit & sentit, credens interim sibi per sanguinem Christi peccata ablui & remitti, unde in corde suo ingens gaudium concipit, cupiens gratias agere domino pro tanto beneficio participatione huius sacri: hunc dignum existimamus ut de pane illo edat et de calice bibat. In hunc usum à Christo nimirum instituta est hæc cœna, ueluti panegyris et festiua quædam ac leta gratulatio, in qua memoria mortis eius cû gratiarum actione refricaretur. Ratio huius ex esu agni paschalis satis luculenter colligi potest, Exodi 12. Quod

UERO

clesiam. Latro mox ut inuocat, Petrus mox ut flet, in ecclesia ambo sunt, nec differtur eis aditus ad uitam. Nos iuxta externam faciem iudicamus, alioqui Ananias & Saphyra in ecclesia Christi non fuissent. Sed cesso iam, nec dubito te persuasum esse, longe aberrare catabaptistas impieq; agere quod ab ecclesianostra secedunt. Reliqua ergo si quæ sunt abs te proferranda, fac profer.

DE GLADIO, AN SCILICET  
magistratui fontes punire, & gladio ferire, atq; bellare liceat.

S I M O N.

IX.  
TRACT.

**Q**uod magistratus inter Christianos esse possint ac debeant, supra satis probatum abs te accepi. Quod uero illis occidere non liceat ex uerbis Christi Matthæi quinto euincere conabor. Sic enim docet Christus: Audistis ueteribus dictū esse, Non occides, quisquis autē occiderit obnoxius erit iudicio. At ego dico uobis, quod quisquis irascitur fratri suo temere obnoxius erit iudicio &c. IOIADA.

Recte lex præcipit non occides: tu scilicet quisquis tandem sies, non occides scilicet ex affectibus, quales sunt ira, inuidia, odium &c. Non occides innocentes: non occides ui aut iniuria. Huiusmodi ergo homicidia



cidia uetita sunt: nec solum homicidia, sed et ira, et omnes fontes ex quibus homicidium nascitur. Ioannes enim dicit: Qui oderit fratrem suum homicida est. Priuato ergo cuique uetitum est ne occidat, non sic magistratibus. Nam ipsa lex de non occidendo adiunctam mox habet exceptionem, dicit enim: Qui occiderit obnoxius erit iudicio, hoc est, is punietur. Quis ergo hunc puniet? quis feriet? quis uindicabit? Priuatus? Minime. Ergo magistratus est ut eum qui occidit aliquem, ipse occidat. SIMON. Hoc ueteribus dictum concedo, nobis uero praecipitur ne irascamur. IOIADA.

Si nemo irasceretur, nemo ui occideret: nihil ergo gladio opus qui occisorem occidat. Quandoquidem uero hoc non fit, sub lege adhuc sumus. Nam iusto lex non est posita, 1. Timoth. 1. Quum ergo dominus noster Iesus Christus legem ad perfectionem reducit, irasci nos uetat, homicidiorum scilicet fontes obstruens. Et de ijs homicidijs loquitur, quae ex impotentia irae nascuntur, non de ijs ubi lege ceduntur, qui publicam pacem turbare sunt ausi, cum quibus iudex crebrius commiserescit quam irascatur. Dei minister est magistratus, uindex ad iram ei, qui quod malum est operatur. Haec Paulus, Rom. 13. Et quidem in nouo testamento scribit. Ministrum ait esse dei ac uindicem, quo deus ad iram, hoc est, ad asserendum iustitiam suam utitur, in eos qui malefaciunt. Dei ergo nomine uindi-

eat, non suo: dei nomine ferit, non suo. Tu uero inbe-  
 ris neminem ferire. Deus autem qui mortificat & ui-  
 uificat, qui deducit ad inferos & reducit, impune fe-  
 rit. Quē ergo ille ferire iubet, ille quoq; citra crimen  
 ferit. Sic percusserunt, Moses, Iosue, Pinhas, Samuel,  
 1. Reg. 15. Helias, 3. Reg. 18. Hiehu, David, Solomon,  
 & alij, quibus percussio ad gloriā reputatur. Tā abest  
 ergo ut magistratus feriendo peccet, ut gratū deo mi-  
 nisterium exhibeat, modo iustitiæ & æquitatis limi-  
 tes nō excedat. Qui enim scelus designat, sese suo gla-  
 dio iugulat, & uenit sanguis eius super caput eius. Lu-  
 dex uero animam suam liberat, quum fontem & sca-  
 leratum tollit, quod si non fecerit grauissimo dei iudi-  
 cio se obnoxium facit, quemadmodum Saulo contigit  
 quum Regem Agag non trucidaret, & Achab cum  
 Benadad rege Syrorum. SIMON. Quum de  
 magistratu superius disputatio haberetur, scrupuli qui-  
 dam relictī sunt qui me angunt. Festinabas enim ut  
 non liceret mihi proferre quæcunq; conceperam. De-  
 inde inter dicendum pleraq; inciderunt de quibus mi-  
 hi si satisfaceres, perpetuo me obsequio tibi deuinci-  
 res. IOIADA. Scio infinitas suboriri quæ-  
 stiones in ea mente quæ fidem nō habet. Quis uero sa-  
 tisfaciet illi, qui subinde noua quædam comminiscitur?  
 nec sanis adquiescit præceptis? Sed dic quid est quod  
 te tantopere excruiat? SIMON. Omnino pu-  
 to Chri

to Christiano homini indignum esse ut magistratus publico fungatur, nihilq; opus esse Christianis magistratu. IOIADA. An ergo non est satis probatum duodecimo sequentibusq; articulis, non posse res humanas sine magistratu consistere? SIMON.

Ego uero adhuc argumenta quedam adducam, si me uis audire. IOIADA. Quæ? Ego asserere audeo quod nemo magistratum recte gerere possit, nisi sit Christianus. Metuo ὑποῦλον aliquod subesse Simon quod intus alatis, quod tantopere contra dei ordinationem pugnatis. Sed ego quod tibi paradoxon uidetur probabo. Spiritus Christi diffundit charitatem in cordibus nostris, eamq; charitatem qua non solum amicos, sed & hostes quoq; diligamus. Qui hanc charitatem habet, spiritum Christi habet. Si iam magistratui amorem indas, concidet fraudulentum priuate rei studium. Quum igitur spiritus Christi hoc habeat quo magistratus, adeoq; ciuitas ipsa maxime indiget, nihil poterit uel magistratui uel reipublicæ auspicius accidere quàm amor. Hunc autem quum euangelium secum adferat, constat ciuitatem tunc tandem firmam esse ac sanctã, si bonis legibus bonæ mentes socientur. Nulla ergo ciuitas beator erit, quàm ea quæ magistratum Christianum habet, & in qua uera religio uiget. Quod in primis curabunt magistratus si Christiani sunt, ut gloria scilicet Christi, iustitia, &

ueritas regnet. Quod si membra sic habere conuenit, multo magis caput ipsum. Ego itaque à te Simon socijsq; tuis lōge dissentio, diuersumq; pronuncio: Aequum scilicet ac iustum magistratum ne esse quidem posse, nisi sit Christianus. Adime magistratui timorem dei, tyrānum reddidisti. Insere tyranno timorem dei, iam sua sponte liberius ac fidelius faciet quod lex iubet, quā nullus terror efficere possit, faciesq; ex tyranno, ad exemplum eius quem iam colere ac timere coepit, dei uidelicet, patrem. Desine ergo Simon inania uerba loqui. Tunc tandem abolendus est magistratus, quū flagitia sic sunt abolita ut nemo peccet neq; lingua neq; factō. Hoc in alio mundo eueniet, huic enim negatū est tanta innocentia frui. Quum ergo perpetuo fuerint qui sub nomine pietatis hoc audeant, quod impij, perpetuo quoq; habēdus est magistratus, Christianus tamen maxime inter Christianos. Per deū ergo te oro Simon, ut in his rebus sapiēs esse desistas, in quibus sole clarius uidetur nihil quæri, quā tumultum, & ad gloriam erumpi quacumq; uia. Quis enim non uidet hanc ipsam esse tentationem Satanae? qui semper audet bono semini superseminare zizania.

SIMON. Hoc in primis semper querimus quod argumenta nostra audire non uultis, & dum nos nostra probare uolumus, uos alia quædam ingeritis, ac deinde tanquam rite probata concluditis. Sine ergo  
per deum

per deum te oro Ioiada, ut & mea proferam. IO  
IADA. Metuendum si non concessero, medius  
crepes, ita enim erumpere quæ concepisti gestiunt.  
Dic ergo quid tandem adferes, cui non sit iam centies  
responsum? SIMON. Mirum est quod uos ad  
ea respondiſſe dicitis, quæ nondum audiuiſtis. Gladius  
dei quidem ordinatio est, extra tamen perfectionem  
Christi, quo malus punitur & occiditur, bonus defen=  
ditur. In lege quidem ordinatus contra malos ad uin=  
dictam & mortem. Et ad hunc usum constitutus est  
mundi magistratus. Sed in perfectione Christi utimur  
excommunicatione tantum, ad commonefactionem et  
exclusionem eius qui peccauit. IOIADA. Ob=  
scure (ut tenebras decet) tua adducis, cupio ergo ex te  
scire quo perfectionem Christi referas, an ad caput, an  
ad corpus? Vis dicere, Christus ipse tam perfectus est  
ut gladio, hoc est, magistratu non egeat qui se emen=  
det aut puniat: an quod Christiani nihil opus habeant  
gladio aut magistratu? Nam amphibolum est, quum di=  
co perfectio Christi. Si primum, assentior dominum  
dominantium & regem regum tam abesse ut magi=  
stratu egeat, ut ne magistratus quidem sint, quibus offi=  
cium nõ sit ab eo superne datum. Si secundum, quod  
scilicet Christiani nihil opus habeant magistratu, o=  
mnibus modis renitor. Do enim istud ut facile sit tibi  
dicere: Christianus qui uere Christianus est, magistra=  
um

tu non habet opus, ex fide enim nihil obmittit eorum  
 quæ facta oportet, neq; quidquam admittit quod fieri  
 nefas est. Sed quæ nostra est calamitas, nondum inueni-  
 mus inter homines tam absolutam perfectionem, nec  
 speranda est unquam fore ut omnes qui Christum con-  
 fitentur, sint ex omni parte beati, quandiu istud cor-  
 poris domicilium circumferimus. Est ergo in hūc sen-  
 sum uere dictum: Gladius est dei ordinatio extra per-  
 fectionem Christi. Hoc est, ubicunq; membra Christi  
 non perueniunt ad eam mensuram perfectionis capi-  
 tis sui, isthic opus est gladio. Sed quantum ego uideo,  
 tu longe aliud uis, nempe, quod hæretica retinetorum  
 ecclesia gladio nihil egeat, ut quæ sit intra perfectio-  
 nē Christi: sumitis enim uobis quod olim monachi, ui-  
 delicet esse uos in statu perfectionis? SIMON,

Iniuria me afficis, & fratrem temere iudicas, quid  
 enim ad me quod alij faciunt. IOIADA. Quan-  
 doquidem tu illorum argumentis uteris, & tam con-  
 stanter illorum opiniones asseris, quid mirum si te in-  
 ter illos recenseam? Volunt stolidissimi homines imò  
 seditiosissimi gladium tollere, quo liberius omnia con-  
 fundant. Et qui euangelium iam receperunt (nam ad  
 infideles et impios non ueniūt) circumuenire cupiūt,  
 ut gladium ponant, quo in cacoecclesia sua liberius  
 scortentur, matronas conspurcent, blandiloquio mu-  
 lierculas seducant, omnem statum turbent, imò urbes

¶ con

Et conturbantia humana diruant, sic enim poterit la-  
 tronum parua manus eorum bona qui in cōmune fer-  
 re nolunt, ui ut publica faciant cōpellere. Vnde quan-  
 to magis negāt gladium inter Christianos ferri posse,  
 tanto magis conseruari debet, uel ob istos ipsos qui tot  
 insidijs publicā pacem tentant. SIMON. Chri-  
 stus docet ut à se ipso discamus, ipse enim mitis est &  
 humilis corde, is nō reuerberat nec reserit. Deinde mu-  
 lieri in adulterio deprehēse, non dixit ut lapidaretur,  
 iuxta legem, qui tamē dixerat: Quemadmodū manda-  
 uit mihi pater sic loquor & facio: sed ex misericordia  
 eam dimittit, & admonet ne ultra peccet. Istud ergo  
 nobis in excōmunicatione seruandum. IOIADA.

Si hęc certa fide & syncera loquimini, pergite ipsi,  
 etiā si nemo uos sequatur, mites esse et humiles. Quum  
 uero nihil sit cata baptistis amarius atq; præfractius, pa-  
 lam fit mititatem non aliter doceri ab eis quā temper-  
 rantiam audiuius aliquando ab auidissimo heluone  
 doctam esse. Is quum quid edulij inferretur cuius ipse  
 esset cupientissimus, conuiuas monebat, ne raptim aut  
 immodice haurirent, sed ciuilitate contrectarent, diu  
 commanducarent, ac uoluptatem longa comminutio-  
 ne caperent, quo sibi liceret uberius ingurgitare. Sic  
 quum istis nihil sit truculentius, (Quę enim etas ta-  
 lem maledicentiam unquam uidit?) alios ad Christum  
 relegant, ut mansuetudinem discant, ipsi longissime ab

eius exemplo recedentes. Porro de adultera quod adducitur, satis delicatum est, quo facilius deprehendas, spiritus istos etiamnum adulteris esse propitios. Hic uero consyderare oportuit Christum pro diuersitate occasionum alia atq; alia ædidisse exempla. Quoties legistis crudelissima? isthic ergo diuinam iustitiam uindictamq;: quoties mitissima? isthic misericordiam agnoscite. Cuius aduentus ille prior nihil acerbum habuit, apud eundem quoq; esse summam iustitiam consyderate. Cum autem isto priore aduentu non uenisset ad iudicandum aut damnandum, sed ad saluandū, iam decorum huius missionis seruauit. Nisi mihi ostendas, quod sibi in isto aduentu aliquando iudicis auctoritatem sumpserit, nunquam isto exemplo probabis Christiano uiro non licere ut magistratu fungatur. Sed illud non potes: quum enim regem facere eum uolebant fugit: quum de hæreditate diuidenda appellaretur, renuit. Veruntamen quum ad dexteram patris perfuncta legatione consedisset, uide an non crudeles homicidas male perdiderit, & uineam suam alijs agricolis locauerit? Non est mirum quod nobis tot sectæ quotidie nascuntur, sed mirum est non multo plures nasci, posteaquam tam prudentes scripturarum interpretes habemus, qui nondum discriminant inter Christi omnipotentiam, prouidentiam, atq; diuinitatem, qua omnia perpetuo gubernat, et inter eam legationem qua pro nobis



nobis hic functus est. Quum enim hoc uidet quod pro  
 statu functionis huius fecit, iam et in leges eius impin-  
 gunt, & falso sic colligunt: Hic non est iudicis officio  
 functus, ergo nemo Christianorum iudex esse potest.  
 Quid hoc aliud est quam diuinum & humanum ius  
 confundere? SIMON. An non tu te tuis uerbis ca-  
 pis? & contra teipsum pronuncias? Dixisti enim Chri-  
 stum à se iudicium reiecisse inter fratres, Christi uita  
 exemplo nobis est, ergo & nobis gladius si offertur  
 reijciendus. IOIADA. Satis patet ex superio-  
 ribus cur hanc causam à se reiecerit Christus. Non e-  
 nim in hoc tum uenerat, ut regnum sibi in hoc mundo  
 compararet, sed ut qui dominus omnium erat sese om-  
 nibus subijceret. Nam tametsi dominus erat omnium,  
 attamen in dispensatione humanitatis nunquam se ges-  
 sit pro rege. Interim tamen oblata occasione, differit  
 de reddendo ius suum cuique, id quod ferme nunquam  
 omittit, si qua præbetur ansa de rebus necessarijs disse-  
 rendi semper à crassioribus ad spiritualia. At hic hu-  
 ius nihil faciēs, palam docet, aliquem esse iudicem, ad  
 quem isti causam suam possent referre, se non esse eum,  
 ergo se non pronunciatum, ut hic iudicis officium  
 potius uideamus confirmari quam aboleri. SI-  
 MON. Sed inter infideles. IOIADA. Imò  
 inter pios etiam. Nam Paulus 13. ad Rom. Christianis  
 de magistratu præscribit, & 12. capite cum corpus

Christi ecclesiam conglutinat, inter uarias dotes & mēbra numerat  $\pi\rho\omicron\iota\varsigma\acute{\alpha}\mu\epsilon\nu\omicron\nu\ \xi\iota\ \omega\omega\upsilon\delta\eta$ , hoc est, eum qui præest, hoc studium præstandi scilicet alijs fideliter, dei dono habere censens, unde & gratis etiam toti corpori debeat impendere, quod priuato u= sui non dedit deus sed publico. An uero Petrus iussit im= pio magistratui parere, non iussurus aut uetiturus si pius fuerit? An fortasse hoc, quod Christianus magi= stratus debeat potius impio cedere quàm ipse subire? Qua insania quæ maior excogitari potest? Quum e= nim magistratu tanquam capite respublicæ regantur & gubernentur, nõne furor est, malle impium esse magistratum quàm piuum? malle piorum ceruicibus imminere impium tyrānum, quàm piuum uirum in do= minico grege patrem agere? Quid enim impius aliud agit quàm ut omnia uel lucri uel gloriæ causa faciat? Quid contra pius aliud, q̄ ut ex amore timoreq; dei & proximi nihil designet, quod illū offendere, istum uero turbare queat? Accumulabit impius opes per fas & nefas, erumpet ad gloriam per media suorum cada uera. Communicabit pius omnia ijs quibus præest, ac populi salutem & pacem gloriæ anteponet. SI= MON. Sed mox ut in sedem pestilentie uenit pius in impium degenerat. IOIADA. Quir isthuc querimini? quum iam id fiat, quod maxime cupitis, nempe ut impius regnet aut præficiatur. Sedes non est pestilens

pestilens, sed adfectus pestilentem reddunt. Magistratus ordinatio dei est, quo si quis abutatur, is pestilens est, non magistratus. Nec omnes degenerant, quod tu dicis. Sed esto degeneret & fiat impius qui pius erat, moueto impium, & pium surroga. SIMON.

Rex est, tyrannus est, suffragijs in ordinem non potest cogi. IOIADA. Fer igitur quod mutari non potest, & patere omnem tyrannidem, quæ fidei nihil officit. Non enim frustra fit, ut sub impio magistratu degas. Aut enim punit deus admissa tua, aut patientiã explorat: quod si fidem extorquere conabitur, parẽ deo plus quàm ipsi. De quare fusius supra diximus. SIMON. Magistratus officium est secundum carnem, Christianus autem est secundum spiritum. Domus illorum atq; habitatio corporalis est in hoc mundo: Christianorũ autem in cœlo. Arma illorum sunt carnalia, & contra carnem: Christianorum spiritualia, & contra munitiones diaboli. Mundani magistratus armantur ferro: Christiani uero armis dei induti sunt, ueritate, iustitia, pace, salute, ac uerbo dei. In summa quemadmodum caput nostrum erga nos animatum est, sic per omnia debent membra corporis per eum animata esse, ne dissidium in corpore sit ullum quo perdi possit. Omne enim regnum contra se diuisum desolabitur &c. IOIADA. Quid isthuc? Magistratus officium est secundum carnem.

Dicere saltem potuisses: Potestas illorum uersatur circa carnalia aut externa. Heccine ergo secundum carnem sunt, quæ Exodi 18. scribuntur? Provide tibi ex omni plebe uiros sapientes & timentes deum &c. Oportet ergo iudicem supra omnes recte esse animatum et constantē, ut in gratiā nihil, nihil ex odio pronunciet, nihil metu, per uolentiā nihil. Id autem quis melius præstabit, quàm qui est pijsimus? Quod autem in eos animaduertit, qui secundum carnis impetū faciunt quidquid libet, iam isto non est minus spiritualis, quàm qui sibipsis maxime uidentur. Vsu uenit ut pater in filium animaduertere cogatur, quod Saulo, Bruto, Manlio, alijsq; cōtigit, qua igitur re putabimus iudicem in hoc articulo maxime opus habere? Constantia nimirum. At caro eam non suppeditat, sed aut gloriæ cupiditas atq; contentio, & iam non est constantia, sed peruicacia, aut iustitiæ amor qui à solo dei spiritu esse potest. Magis ergo spiritualis est huiusmodi iudex, quàm omnes molliculi isti, nescio quam muliebrem mansuetudinem prædicātes, præsertim quum tantum sit inter mortales malorum. Plus quoq; prodest huiusmodi iudex ad gloriā dei, pacemq; publicam ampliandam, quàm tota catabaptistarum hæresis, etiamsi in mille myriades excresceret. Iudicem ergo uel magistratum cum primis oportet esse Christianum ac diuinum hominem. Vnde & deus ipse dignatur eos

tur eos suo nomine elohim adpellare, quod deo quam  
simillimos esse oporteat, iustitiæ, æquitatis, constanti-  
æq; antistites.

Sed hoc bellum est quod dicitis: Domus iudicium  
corporalis est in hoc mundo, Christianorum in cælo.  
Quasi ista nobis de cælo detonetis. Vbi quæso estis  
quum ista dicitis? In mundo arbitror. Ergo et uos estis  
in hoc mundo. Si ergo Christianus non potest esse ma-  
gistratus ideo quod habitatio eius est in hoc mundo,  
iam uos Christiani esse non potestis, nam & uos ipsi  
estis in mundo. Quomodo uero Christianorum ha-  
bitatio in cælis est? Dum hic degunt cõtemplatione,  
dam hinc migrant possessione ac fruitione nimirum.  
Iudex ergo quum nunquam non uersetur in dei con-  
templatione, quum omni momento & de populi sa-  
lute, & de iure cuiq; reddendo cogitet, crebrius in  
cælo uersatur contemplatione, quam omnes catabap-  
tistæ, qui si deum timerent & præ oculis haberent,  
nunquam tam stulta & audacia consilia inirent. A-  
scendetq; tandem dei timēs iudex post hanc uitam ad  
eum cuius nomen ac uices hic gessit, quum seductores  
isti omnes in profundum erūt mersi in suo cacobapti-  
simo. Hic interim ò iudices atq; magistratus, officij ue-  
stri estote memores, aliunde enim horror uestri nõ na-  
scitur, q̄ quod adeo rari sunt inter uos, qui ius suum  
cuiq; reddant, præsertim hac tempestate, qua ui &

crudelitate omnia redundant. Ad hunc modum respondemus ad ista magnifica: Ciuitas illorū in hoc mundo est, Christianorum in caelo. Nam & catabaptista nullam adhuc habent ciuitatem, nullam ecclesiam in qua uersari atq; uigilare possint, quemadmodum episcopum atq; pastorem decet, sed luporum instar qui in syluis insidiantur, rapiunt ac fugiunt, incendunt ac deserunt. Arma illorum carnalia sunt (inquiunt) & contra carnem, Christianorum spiritualia contra munitiones diaboli. Catabaptistis cum carne nullum est omnino bellum, quum ei per omnia obsequantur. Mundani ergo magistratus (inquiunt) armantur ferro, catabaptista hypocrisi & maledictia, mendacijs, iniuria, disidijs, perfidia, pernicie, & uerbo diaboli.

Debemus per omnia Christo adsimilari: quis hoc negat? Sed nū quid obstat quo pius iudex minus possit per dei bonitatem & gratiam Christo similis fieri, quā catabaptista? imō, ut diximus, magis potest, quāto illi similior fit in alto existendo, & humilia cogitando, quā catabaptista pro sua proteruia summa praesumendo.

Neq; diuiditur regnum Christi cum Christianus magistratū gerit, sed instauratur atq; iungitur. Quod uel uno exemplo & toties in sacris literis iterato, ubi seruatorum cohortes leguntur dominorum fidem amplexa

plexæ, & hac nostra tempestate à tam multis urbibus edito, patet. Quæ ut primum euangelij gustum ceperunt, populo sibi à deo credito, non aliter quàm fidelis Iehosaphat legem olim cum sacerdotibus atq; leuitis cohortibus aliquot munitam per omne regnum suum exponi iubebat, eius copiam fecerunt. Publicis mandatis & Euangelio & ministris eius ostium adperientes. Lupis autem & pseudoapostolis, siue de pontificis aula, siue catabaptistarum cubilibus & antris prodijissent, uiam præcludentes. Quo factò (deo gloria) mirabile incrementum euangelij protinus est uisum. Sed catabaptistæ inter Christianos hæc peruersa dogmata, de non gerendo magistratu, & non præstando iureiurãdo musitant, ut si fieri possit, errores suos impune ac intrepide disseminare liceat.

Seruis ubiq; præcipiunt apostoli, ut dominis suis pareant, 1. Pet. 2. 1. Cor. 7. Ephes. 6. Col. 3. 1. Timoth. 6. Et contra simul præcipit dominis, ut æquanimius imperent ac humanius tractent seruos suos. An uero istud ad impios dominos detorqueri potest? quasi uero impij fuissent apostolorum tabellas uel aspectu tantum dignati, uedum ut audirent aut obtemperarent. Scribunt igitur fidelibus dominis, id quod manifeste patet, 1. Timoth. 6. Qui uero serui (inquit Paulus) fideles habent dominos, ne contemnant, propterea quod fratres sunt ac dilecti. Quod si Christianus esse potuit,

qui seruos habebat, multo magis Christianus magistratum gerere potest citra pietatis ac uerbi dei iacturam. Durius enim est dominum esse quam magistratum, et crudelitati propinquius est seruos habere quam ciues propter publicam tranquillitatem morigeros.

Scribit Timotheo Paulus 1. Timoth. 2. Hortor igitur omnium primum, ut preces fiant, orationes, interpellationes, obsecrationes pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus qui in eminentia constituti sunt, ut quietam et tranquillam uitam peragamus in omni pietate et morum grauitate et c. Hic primum consydera, utrum quietior et pacatior uita sub impio magistratu transigi possit, an sub pio. Quod si pro pacato statu orare licet, licet et nimirum orare ut deus pium magistratum concedat, quo commodius pax et concordia concilientur. Eum ergo magistratum quum deum dare non dedecet, quum dedecet pium gerere quod dominus ultro offert? Loquor autem perpetuo de magistratu, quem nos laicum uocamus, non de tyrannide quam sibi Romani pontifices arrogarunt.

Deinde et hoc consydera, quod si precari licet, ut uitam peragamus in omni pietate et honestate, nimirum licebit orare quoque ut tales magistratus inaugurentur, sub quibus pietas et morum honestas ac grauitas quam uberrime prouenire possint. Id autem feliciter assequemur sub pio quam sub impio magistratu.



tu. In summa, nihil unquā poterimus adferre, quo probemus probo homini nō licere magistratum gerere, q̄ diu sic uiuimus, ut quidam sint ab iniuria deterrendi.

SIMON. Ergo nostra culpa fit, ut magistratum habere cogamur, quum non uiuimus ad præscriptum Christi. Si sic uiueremus, magistratu penitus nullo haberemus opus. IOIADA. Hoc nemo inficiatur. Sic ergo sentite, sic in angulis docete in quibus conspiratis, Christianos homines tam innocentem uitam agere debere, ut nullo opus sit magistratu. Nunc uero quum uideatis omnium hominum uitam talem esse, ut rigidissimo magistratu opus habeat, simulq; iterum atq; iterum obstrepatis Christianos nullum magistratum habere debere, an putatis obscurum esse quo spectetis? nempe ad rerum omnium confusionem. Miscere omnia pergitis, ut aliqua parte ad gloriam erumpatis. Quin omnes hoc agamus, ut uitā innocentissimam ducamus, & nihil nos premet magistratus. Quem enim gladio feriet, quum simus omnes innocentissimi. Verum heus uos uidete ne innocentia tantam potius simuletis fore posse, quam uere speretis, ad hūc usum, ut non minus pij existimemini ex hoc uestro acumine, quam Plato in reipub. ordinatione sapiens uideri uoluit. Quamdiu eodem morbo laboramus quo isti sub lege laborabāt, eodem etiā remedio egemus. Durissimis Iudæorū ceruicibus non ante fuit impius magistra

tus impositus quàm cum ad ultimam impietatem pro-  
 laberentur, à quo ut primum ab impietate recessissent  
 liberabantur, iamq; ex sua gente & religione magi-  
 stratum inaugurant. Ergo & Christiani debent, mi-  
 sericordiam dei agnoscendo, magistratum Christianum  
 sibi designare, sub quo tràquilli quietiq; uiuant:  
 sunt enim inter eos haud pauciores, qui ad iniurian-  
 dum prorumpunt, quàm olim fuerint inter Iudeos,  
 quos poenis coërceri necesse est. Ac dum impium ma-  
 gistratum ferre coguntur, crimen debent agnoscere,  
 quod is sibi non nisi propter impietatem sit impositus.  
 Pius igitur licet pius magistratum eligere, neq; non li-  
 cet pio oblatum gerere inter pios. SIMON. An  
 tyrāni non sunt qui eos occidunt qui soli deo hærent,  
 & uitam innocentem meditantur? & qui usq; ad ulti-  
 ma suspiria deum inuocant? IOIADA. Omnia  
 uerba uestra sic adornata & instructa sunt, ut nemo  
 facile intelligat quid uelitis. Ambiguus enim uti con-  
 sueuistis, et quæ in utramq; partem rapi possunt. SI-  
 MON. An ergo obscurum est quod dico? catabap-  
 tiste merguntur aquis homines pij & innocentes.

IOIADA. Iam aperte loqueris, sed non uere,  
 aut proba mersos esse aliquos, in ijs locis ubi Euange-  
 lium uere prædicatur, quod in deum & Christum fi-  
 liū dei crediderint, quod huic soli hæserint, quod iuste  
 & innocenter uixerint? Quid cessas? SIMON.  
 Nescio.

Nescio. IOIADA. Quur ergo hanc notam in-  
 uris magistratibus pijs? Deinde saepe fit ut latrones et  
 fures qui commeritam luunt mortem, per gratiam dei  
 illustrati & conuersi, in itinere ad supplicium, deum  
 inuocent, pro alijs orent, omnibus ex animo remittat.  
 Nec protinus sequitur, illos iniuste punitos aut eorum  
 causam iustam esse, aut iniustam sententiam in eos la-  
 tam à iudice. Contra reperies quosdam qui adeo sunt  
 prefracti, ut in mortem usq; innocentes uideri uelint  
 quiritantes de iniuria & ui eis illata, quum tamen o-  
 mnibus constet eos hoc scelus designasse. An er-  
 go istos simulatio defendet à pœna? aut iudicem ini-  
 quum arguet qui in eos animaduertit? Sic catabapti-  
 ste non ob hoc plectuntur quod pijs sunt, nec eorum  
 innocentiam arguit hypocrisis, & frequens iteratio  
 nominis diuini, & quod saltantes in mortem eunt. Si  
 de morte innocentum uis exempla dare, Stephanum  
 adduc & Ioannem Baptistam, & ex ueteri Naboth  
 iniuste ab impio rege Achab interfectum. Causa facit  
 martyrem, non crux. SIMON. Quid causæ  
 igitur est quod catabaptistas interficiunt? IOIA-  
 DA. Quod magistratibus sunt dicto inobedientes,  
 quod sacramento rogati iusiurandum negant, quod  
 prestitum non seruant, quod dissidia & tumultus in  
 populo excitant. SIMON. An uero magistra-  
 tus est, ut capitis periculo rebaptismum uetet ac pro-

hibeat? & iureiurando roget? IOIADA. Re-  
 baptismationem uetitam esse à Cæsaribus pijs ante mil-  
 le annos capitaleq; fuisse in Iustiniani codice legimus.  
 Potestas enim à deo ordinata est ad publicam salutem  
 & tranquillitatem. Legibus ergo cauere potest, quid  
 quid contra rempublicam moliuntur perduelliones.  
 Rebaptisatio secta quædam est contra publicam pa-  
 cem, & seminarium tumultuum: deinde etiam inuen-  
 tum contra dei uoluntatem, ut satis probauimus. Non  
 iniuria ergo prohibetur à magistratu, & in trāsgres-  
 sores merito animaduertitur. De iureiurando suo lo-  
 co satis est dictum, perfidi ergo quum sunt iure ple-  
 ctuntur. SIMON. Sed bono zelo faciūt quida  
 quid faciunt, putantq; se obsequium præstare deo.  
 IOIADA. Et zelum Iudæi habebant, sed non  
 diuinum, Rom. 9. Ioan. 16. Ergo factū eorum iustum  
 erit? SIMON. Minime. IOIADA. Quid  
 istud? SIMON. Zelus non erat secundum sci-  
 entiam, & scientia non regulata charitate, sed contu-  
 maces erant, contentiosi & præfracti, & patrem &  
 filium ignorantes. IOIADA. Hoc idem de ca-  
 tabaptistis iudica, nam docti sacris scripturis non ce-  
 dunt, non ergo ex fide sed ex contentione & adfecti-  
 bus omnia agunt. Quum ergo patiuntur, nō est quod  
 glorie & merito adscribas, sed eorum culpæ & sce-  
 leri, Petrus docet: Ne quis uestrum affligatur ut ho-  
 micida

micida, aut fur, aut facinorosus, aut curiosus alienarum rerū. Præstat ergo paucos per iudices legitimos tolli, quàm aliquando plebe per ipsos seducta expeditione & armis rem tentare. Omnino enim malum tollendum erit. SIMON. Hui bellum dicis, rene indignissimam Christianis omnibus. IOIADA.

Summum malorum est bellum, quod & supra de homicidio auditum est, sed, ut tum dicebatur, quum ex adfectibus geritur, ex auaritia, cupiditate, inuidia, odio, tyrannide. SIMON. Bellum res est qua

Bellum beluarum est.

friratem omnium beluarum homo superat, imò non est res hominum, sed quod uerbum ipsum loquitur, beluarum: quam detestatur natura, quæ hominem intermem genuit, ad mansuetudinem & communionem uitæ: auersatur deus, qui penitus uult & imperat mutua inter homines omnes charitatem. IOIADA. Recte loqueris & uerissime mi Simon, charitati studere omnes filij dei debent, quod et faciunt: quum uero homines quidam à Satana instigati, non homines sunt sed beluæ & demones, nec uni tantum homini nocent, sed respublicas totas perdunt, omnem ordinem tum humanum tum diuinum dissipantes, hos extremo & amarissimo remedio, quum malagmatis nihil proficitur, magistratus uel emendare uel amputare cogitur, ut reliquo corpori salus cõstet. Nec quisquam homo homini uel bellum facere uel nocere potest sine

Bellū an liceat Christi-  
anis magi-  
stratibus.

grandi scelere. Magistratus autem qui gladium geris à deo datum, neq; frustra, is nocentes ferire, si gloria dei & salus reipublicæ postulat, potest. SIMON.

Rogo te ut hoc paradoxon ex scripturis mihi probes. IOIADA. Abraham bellum gessit contra reges, ut est Gen. 14. in quo reges in fugam conuertit, prædam eis abstulit, & fratris filium Lotum reduxit. De bellis Mosis, Iosue, et Iudicum, multa sunt in libris ueteris testamēti, quæ recensere non est necesse, quum omnibus sunt notissima. Cōtra Beniamin tribus Israël graue bellū adornant quod atroci et impudenti adulterio crimen pessimum & grauisimum designarant. Quod si ab initio fecissent, non cecidissent ex eis tot milia. Quod uero tam tardi fuerunt ad asserendam iustitiam & scelera punienda, pœnam grauisimam dederunt negligentiae. Deinde si Beniamitæ ex Gabaon nocentes, ad pœnam requisitos, dedissent, non tantam iacturam totius populi fecissent. Samuëlis & Dauidis bella patriam & pietatem à circumiacentibus gentibus uindicarunt. Sic Afa coactus & bello adortus à Hieroboam, se suosq; bello asserit nisi cum suis perire funditus malit. Notum est qua pietate patriam defenderit contra Moabitas & Ammonitas Iosaphat. Oratio eius ad deum talis erat. O domine, nituntur nos gentes istæ eijcere de possessiōe quā tradidisti nobis deus noster, ergo non iudicabis eos? In nobis quidē non est tanta

Iudicū 20.

2. Paral. 20.

tantā fortitudo ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos: sed quum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros ad te dirigamus. Ezechias magna fide et constanti animo regem Assyrium expectat, quū prius omnia, nequicquam tamen, tentasset quæ ad pacem facere poterant. Iudas Machabæus fortis bellator sic dixit ad populum suum: Facile est concludi multos in manu paucorum, & non est differentia in conspectu dei cœli liberare in multis & in paucis: quoniam non in multitudine exercitus uictoria belli, sed fortitudo de cœlo est. Ipsi ueniunt ad nos in multitudine contumaci & superbia, ut disperdāt nos, & uxores nostras, & filios nostros, & ut spolient nos. Nos uero pugnabimus pro animabus nostris & legibus nostris, & ipse dominus conteret eos ante faciem nostram &c.

Ex his pius quisq; facile colligere potest, non affectibus aut temeritate motos esse sanctissimos uiros, ut in bellum procederent, sed necessitate ineuitabili, & ex causis iustis & legitimis. Alia exempla quoq; adducere possem de Christianis regibus & imperatoribus, Constantino, Valentino, Gratiano, Teodosio, cæterisq;. Metuo ne catabaptistæ mollicie animi metuq; quodam foemineo contra arma clamitent. Nam eos qui arma prædictis ex causis pro defensione reipublice & patrie in manus sumpserint, non tantū non pec-

care, sed & deo seruire existimo. Ioān. Baptista quā milites ad baptismum eius uenirent, non iussit abdicare militiam, quod nimirum, si armis pugnare pro defensione reipublicæ & assertionē tranquillitatis Christiano nō licuisset fecisset, sed hoc tantū dixit ut cōtenti stipendijs suis, neminem cōcuterent, nemini uim inferrent. Et hanc responsionem dabat illis, qui interrogabant ab eo quid ipsis faciendum. SIMON.

Veterum bella de quibus multa narraſti à deo iussa erant imò præcepta, nec unquam iniussi bellū capessunt Iudæi & sine dei oraculo, quo duce & auspice foeliciter pugnarunt, infœlicissime semper dum sine illius iussu in aciem descendunt. IOIADA. Recte, Gladius datus est magistratui ad tollēdum malum è medio populi, ad tuendum innocentiam, non ad recondendum. Nec deus semper externa uoce loquitur, sed quod semel dixit & statuit hoc ei (ut est semper sui similis) perpetuo placet. Si placuit ei tum ut mala per magistratum tollerentur, adhuc hodie placet. Inspirat ergo piorū magistratuū animis, quando, quare, & quatenus bellandum, quibus ex rationibus arma sumenda. SIMON. Christus præcipit suis ne malo resistant, sed potius cædenti alteram præbeant maxillam. Deinde sibi uindictā reseruat, nec dat hoc ius alteri. IOIADA. Vindicta non læso, sed magistratui à deo committitur qui uicem eius in terris gerit.

Leuit. 24.  
Deut. 19.



rit. Hic enim, ut iam sæpe dictum est, gladium non frustra gestat, Rom. 13. 1. Pet. 2. Verba igitur Christi quæ Matthæi 5. scribuntur, ita sunt accipienda ut cum patris præcepto, quo constitutæ à se potestati scelerum uindictam per sancte iniunxit, haudquaquã pugnent. Dicit enim Christus se uenisse ut uoluntatē dei patris sui faciat, nec legem soluat sed perficiat. Et profecto si expenderimus quibus uerbis dominus hic usus, ad quos illa, & quando locutus sit, ultro se offeret germanus eorum sensus, quo pulchre consonabunt, tam ijs quæ ante in lege præcepta sunt, quam alijs Christi tum uerbis tum factis. Mira enim est, & constans atq; perpetua diuinarum rerum harmonia, & pulcher consensus. Sibi enim diuinus spiritus ubiq; similis est, nec sibi repugnare potest. Primum ergo certum est, hæc omnia dicta peculiariter discipulis, uti Matthæus et Lucas testantur, licet simul auscultantibus turbis. Iam discipuli priuati erant, neq; futurum erat ut magistratu unquam fungerentur Lucæ 22. Non possunt igitur, quæ ipsis hic mandata sunt, quoquo modo ea uel reuocare, uel damnare, quæ antea dominus magistratibus iniunxerat. Ut si princeps priuatis ciuibus gestare arma in urbe prohibeat, nemo eodem ædicto intelliget, & constitutis ab eo præfectis atq; licitoribus, alijsue publicis ministris, armis interdictum. Ad hæc, Christi regnum non est de hoc mundo: ita nihil eorum quæ

regno mundi necessaria deus instituerat uoluit imitari, satis habens suos instituisse ut omnibus rebus optime uterentur, & cœlestis uitæ in mundo imaginem et specimen præ se ferrent. Docet ergo Christus suos, ut iniuriæ sibi illatæ debeant esse tolerantes, ne quis priuatus malo sibi illato resistat. Non tamen hoc ipso uentit non resistendum esse malo quod alijs infertur, præsertim si cui depellendi eius munus iniunctum sit, ut plane iniunctum est quotquot magistratu funguntur.

Postremo si tempus consyderes, quo Christus hæc suis præcepta dedit, eundem uidebis esse sensum. Instabat sanè, ut uelut oues in medio luporum, ita hos discipulos suos in mundū extruderet, regni cœlorum prædicatores: ob quod quum futuri essent odio omnibus hominibus, ac crudelissimā experturi persecutionem, summa certe tolerantia illis opus erat. Quapropter ad hæc præcipue hic ipsos uoluit præparare, quæ utiq; in primis eis erat necessaria. Nihil tamen per hæc adimens ordinatæ à deo potestati, aut ijs quos ex suo grege ad id electos illa contingeret fungi, quo minus iudicare secundum leges dei, gubernando externe populum commissum possent. Magistratus ergo officium est, malos & nocentes è republica tollere, priuati cuiusq; ut iniuriam magno animo ferat, nec se ulcisci cogitet, illato malo ne resistat, quum hoc officij potestati publicæ sit demandatum, quæ in hoc constituta est  
ut tueatur

ut tueatur bonos, malos puniat, eripiat inopes ab illis qui eos opprimunt. Atq; ob hoc omnium bonorum ciuium est, magistratui parere, ferendo arma, faciendq; quæcunq; ad id necessaria fuerint. Decet enim ut pro proximo sollicitudinem geramus, et iniuriam eius propulsemus. Nostri curam debemus deo committere, & ipsi omnem uindictam cōtradere. Recte igitur magistratus cōmendatos ulciscitur, & suorum iniuriam propulsat, qui suam, si Christianus est, deo uindicandam committit. SIMON. An ergo non proximus est qui alterum læsit, & rempub. turbat? Is nimirum etiam diligere à nobis debet: non ergo licet eum punire & neci dare. IOIADA. Quasi uero non secundū deum diligere debeant, & haberi omnia. Quicq; malū ciuem punire aut occidere ipse iubeat, nulla sit omnino cuiuscunq; creature ratio habenda, quando etiam parentes, atq; propriā animam, propter ipsum odio habere oporteat. Saul, quod contra præceptum domini Agag regi Amaleitæ pepercerat, & non omnia hostium perdidit, à domino regno fuit deiectus. Filij Leui nō minus peccassent, si Mosi non obtēperassent, quando ex mādato domini iubebat illos accinctos gladijs transire et reuerti à porta castrorum usq; ad portam, & unumquemq; occidere fratrem suum, Exodi 32. Deuter. 21. Mandatur parentibus, rebellem filium ut tradant in mortem. Neq; tamen ob ista uiolatur ius

aut præceptum charitatis. Non enim est dilectio proximi, quæ contra uerbum dei exhibetur. Neque dilectionis neglectus, si cum proximo iuxta uerbum dei egeris.

Proinde haudquaquam audiendi sunt isti præposterè misericordes, qui præsentì Christi præcepto contendunt, omni scelerum uindicta, usque gladij Christianis interdictum. Quæ uero dilectio est ad proximos, si quis facultatem habet, imò iniunctum à deo munus tuendi bonos à malis ac liberandi, & permittat innocentes & bonos libidini malorum? Si ergo proximos uere diligimus, debemus dare operam, ut & beneficiamus illis, & ut liceat illis beneficijs dei ac nostris frui. Id sine legibus & coertione malorum ( tanta est impiorum peruersitas & multitudo) fieri non potest. Propterea omnium Christianorum erit, pro uiribus incumbere, ut suas leges & magistratus habeat, atque ut illis in omnibus pareatur. Et illi quidè iuxta legem dei fontes è medio tollant, & in sceleratos iuste animaduertant. SIMON. Quum iam abunde probatum sit magistratū inter Christianos esse posse imò debere, eiusque officium esse ut mali plectantur & tollantur, Consequens est, ut de bello firmiora quedam adducas. Nam hoc medio ut tu perhibes etiam exciduntur fontes. IOIADA. Certum hoc est et indubitatum quod Christiani inter se bella nulla gerunt, utpote

utpote inter quos summa uiget dilectio. De quo dominus per Esaiam uaticinatur: Non affligent & non uastabunt in uniuerso monte sancti mei, quia impleta est terra sciētia domini, Esa. 11. Quin etiam si quæ res publica in manibus Christianorum, aut si princeps quispiam Christianus fuerit, indubie quantum in eis erit, habebunt etiam pacem cum extraneis à fide, adeoq; cum omnibus hominibus, Rom. 12. Quod si huiusmodi ab impijs impetūtur, atq; id pro re quam cum domino cedere illis poterunt, ut forte propter prouentus aliquos, uectigal, aut aliam externam commoditatem, indubie declarabunt se cœlestium bonorum participes, qui ita præsentia negligāt, ut possint pallium cum tunica cedere, ac duo ire miliaria cū eo qui adegerit ad unum.

At si impij tentauerint pios magistratu dei cedere et in totum dominari ipsorum plebi, quandoquidem certi sunt, diuinitus se super populum dei constitutos pastores, & suæ fidei illum commissum, nequaquam sanè (nisi diuino oraculo, ut per Hieremiam Iudæi iubebantur subijcere se regi Babyloniorum, eius admonebantur) cedere illis debent. Præsertim si hostes illi uerum dei cultū extinguere conentur, quales hodie sunt qui antichristi regnum, ubi Christi regnum parum emerfit, restituere annituntur.

Propterea si ab huiusmodi Antichristi propugna-

torib. pio alicui principi, uel reipub. propter pietatis  
 qualemcumq; restitutionem bellum indiceretur, consi-  
 lium uidetur illis dandum aut capiendū, quod cepisse  
 pientissimū regem Ezechiā legimus. Cōtra quem ubi  
 copioso exercitu aduentasset Sanherib rex Assyrio-  
 rum, et terrā Iuda deuastaret, excidiumq; urbi quoq;  
 Hierusalem minaretur, ante omnia ille deum, à quo  
 rex factus erat, inuocabat. Mox pacem, immensa ar-  
 genti & auri summa, nempe centenīs talentis argenti  
 & triginta auri, redimere est annisus, ut non tantum  
 quidquid aris in templo atq; thesauris regijs erat, ex-  
 hauriret, uerum etiam laminas quibus ipse fores tem-  
 pli exornauerat conflare cogereetur. Vbi id non suc-  
 cesserat, & omnino urbem occupare sanctam Assyrii  
 pararet, inuito cū suis consilio, quidquid fontium et riuo-  
 rum in agro atq; uicina regiōe erat tegebat, ne haberet  
 hostis copiā aquæ, murū urbis instaurabat, ueterem et  
 nouū circūducebat: turres extruebat, Millo muniebat,  
 iacula atq; clypeos parabat, duces super populū cōsti-  
 tuebat. Tū conuocatis ad se ciuibus corda eorum ad spe-  
 randū auxiliū Domini oratione nūre pia atq; forti eri-  
 gebat, declarans hostes niti brachio carneo, se uero do-  
 mino deo suo. Adhunc modum dispositis omnibus,  
 suoq; munere diligenter obito, nihil reliquū habuit,  
 quàm supplicibus precibus opem domini implorare,  
 quas etiam dominus exaudiuit, atq; liberationem ur-  
 bis, &

bis, et per Esaiam prophetam pollicitus, et mox quoque mirifice prestitit, ut per angelum suum una nocte centena octogintaquinque milia in exercitu hostili perderet. Atque ita hostem compulit propere ad suos fugere, 4. Reg. 19. 2. Paralip. 32. Pius ergo magistratus in primis se domino committat, mox quacunque ratione, potius quam armis parare pacem suis satagat, modo nihil cedat quod intersit glorie dei. Quod si hac uia nihil efficit, neque potest ab hoste pacem impetrare, magno animo utatur ad tutandum sibi diuinitus commissos, quibuscunque uti dominus dederit, munitionibus, artibus, armis, uiris, uiribus, spe omni in deum collocata, ab ipsoque uno auxilium et liberationem expectans, eaque causa irremissis precibus ipsius bonitatem pulsans, paratus simul animum et omnia pro gloria ipsius ponere.

Quum sic munus suum obeunt pii magistratus, ciuium plane erit, ut uniuersi operam suam illis, imò tutandae reipublicae, atque adeo glorie dei, pro uirili collocent, ac simul omnia in discrimen ponant. Quandoquidem respublica uelut unum corpus est, cuius caput existit magistratus, ciues omnes membra inuicem habentur. SIMON. Quid uero te mouet ut sic sentias? IOIADA. Quod idem deus noster est, qui et Iudeorum fuit: idem foedus ac testamentum (ut supra patuit) quod cum illis atque nobiscum inijt, nisi quod

illis & ceremonias ritusq; externos uarios ad tempus adiunxit, quare & uetus dicitur, nobis non item, sed noluit nos ab elementis liberos esse. Vt igitur gratum deo fecisset, quicūq; princeps aut magistratus, ad prædictum modum exemplū tum Ezechie tum Davidis, atq; aliorum regum qui deo fuere probati, fuisset imitatus: ita nequit quisquā ei & hodie, si sic illud æmuletur, displicere. Proinde cogitabit magistratus timens deū, si eo loci res eius ueniat: Domine uoluisti me esse populi istius pastorem, ac ita gubernare, ut tu rex eius agnoscereris, aduenit impius iste, cupiens omnia in diuersum rapere, si qua re alia quàm armis furorē eius declinare possem nihil non facerem ac paterer. Cū tamē gloriæ tuæ iacturam (nam hanc in primis petit) neq; possumus ab illo pacē, nisi te rogato, impetrare. Fidi ergo pastoris officio fungar, animam meam pro isto populo tuo ponam, & tua fretus ope, omnia quæ dedisti, tuo auspicio experiar citius, quàm tuā impiæ illius tyrannidi hereditatem cessurus. Tu modo adsis nobis, & doce manus nostras ad pugnam, & digitos nostros ad prælium. Tu es rex meus et deus meus, manda salutem Iacob. In te inimicos nostros uentilabimus cornu, & in nomine tuo conculcabitur insurgentes in nos &c.

Populus uero sic cogitabit: iussisti nos, o deus, magistratui parere, utiq; ad pacem & tranquillitatem publicam



blicam tuendam et seruandam, imperantur nobis iam arma, non pro uxoribus, pro liberis, atq; fratribus tantū, sed pro tuis quoq; sanctis legibus. Adesto nobis, in nomine tuo, quæ abs te accepimus omnia impēdemus. Sic animatos et cōparatos, quis dubitet, ut sanctissime ita et feliciss. pugnā cū hostibus cōmissuros? SIMON.

Abunde satisfacisti mihi mi Ioiada, pro quo tibi perpetuas debeo gratias. Tu iam si libet uela colligas, ut ad alia transeamus. IOIADA. Quæ adduxi, non mea tantum, sed partim ex scripturis, partim ex piorum scriptis desumpta sunt. Redigam uero hæc in breuem summam. Magistratus debet esse inter Christianos, isq; Christianus. Magistratus autem minister est dei in terris, ad defensionem bonorum, & uindictam malorum, nec enim frustra gladium gerit, Rom. 13. Magistratus cui cognitus est Christus, is simul agnoscat se dei præfectum, & gesti magistratus rationem ipsi adprobendam, quo solicite curet ex ipsius sententia, opera manuum eius, & oues pascuæ eius, gubernare. Alioqui tanto grauiores dabit illi poenas, quanto maiore potestate ab ipso tradita fuerit abusus. Quorum interest magistratus deligere, ut in rebus publicis fieri solet, ij uideāt ut ex suis deligant, id est, deum agnoscentes, qui iusto iudicio populum dei gubernent, tales scilicet quales Exodi 18. præscribuntur, Sap. 1. Deuter. 1. 2. Paralip. 19. Deuter. 24. Leuit. 24. 19. Exo.

23. Iustum autem iudicium legesq; equae et bonae esse non poterunt, nisi omnia iuxta dei uerbum ad ipsius gloriam & regulam charitatis direxerint.

Porro ut milies mori quicumq; deum nouit potius uolet, quam uel cōsultor esse ut magistratu quisquam fungatur qui non eximie deum timeat, iustiq; & pietatis sit tenacissimus: (Deum enim in terris refert magistratus) ita si impientissimus & sceleratissimus iam rerum potiat, sitq; magistratus constitutus, rursus omnia patietur citius, quam ut uel cogitet eū uia illegitima (id est, p̄ tumultū aut affectu priuato) magistratu deturbare. Sed in primis deū orabit, qui iratus eum rerum potiri fecit, ut placatus, potestate tyrannum rursus exuat, qui id nimirum solus potest. Vt scilicet uel cor eius immutet, nam cor regis est in manu dei, uel eum pijs adimat. Deinde media à deo ostensa & in manum data ne respuat: suppeditat enim deus consilia suis, sic tamen ut omnia iuxta regulam fidei & charitatis fiant. Ordinatione dei constituitur magistratus: qui si pius & bonus contigerit, gratias agamus deo, & donum hoc tam eximium, ne nostra ingratitude & iniquitate amittatur, caueamus: si impius, ut à deo praefectum agnoscamus, cedamusq; ei quaecunq; per dei uoluntatē et gloriam licet. Quod si quid iubet aut petit contra uoluntatem communis omnium principis dei, cuius solius imperio addicti sumus, dicamus ei: Oportet

esse  
suis  
tius  
nam  
pie-  
ma  
iam  
r sus  
le-  
stra  
um  
um  
icet  
lei,  
in  
ilia  
ri-  
us;  
eo,  
ine  
leo  
per  
aut  
ci-  
us.  
tes

ei: Oportet deo plus obedire quàm hominib. Si facultatem, si uitam deniq; adimit, certi sumus id deo non displicere, imò certi sumus ei placere, dum ui illorum nos aut non eripit, aut eam non immutat. In hac dura necessitate ex fide cum filijs Israël ad deū clamemus, & certo liberabit nos. Quis enim alius appellandus fuerit, quàm princeps, qui tyrannum super nos constituit? Profecto omnes uires humane (nisi deus uiam ostenderit) inferiores existunt, quàm ut magistratum à deo inauguratum exauthorent.

Porro si arma sumere iubet magistratus noster, quandoquidem ei ut deo parere debemus, non est scrupulosius nobis in rebus eius disquirendum et argutandum, sed simpliciter parendum: nisi quid precipiat, quod apud omnes pios cognoscitur esse contra uoluntatem dei.

Quæ quidam principes bella gerunt, pro nulla alia re, quàm ut latissime quisq; imperet, et harpijs suis ampliolem prædam paret, non est mirum si nihil huiusmodi resipiât, sintq; plus quàm ethnica, cum ipsos uideamus à uerbo & timore dei omnino alienos.

SIMON. Abeundum mihi iam erit Ioiada, cras in tempore adero ut de decimis & censibus loquamur. IOIADA. Vale ergo, & quum cras redieris decimamseptimam conclusionem ordiemur.

I  
TRACT